DE

BERTHOLDI HENNEBERGENSIS

ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI ET REGNI GERMANICI
ARCHICANCELLARII (1484—1504)

STUDIIS POLITICIS.

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXIV. MENSIS JULII A. MDCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET

JOANN. BAPT. WECKERLE
PRESB. MOGUNT.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA ASCHENDORFFIANA.
MDCCCLXVIII.

Pars I.

§. 1.

Saeculo XV. exeunte patria nostra in rebus publicis et ecclesiasticis melius constituendis summo studio atque impigra alacritate versabatur. Nec praestantes in re publica viri defuerunt, qui patriam tam misere afflictam ac profligatam novis institutis ac legibus reficere pararent ad veterem, quo orbata esset, splendorem restituendum atque ad pristinam, qua destituta esset, potentiam recuperandam. Quos inter viros amplum locum obtinet Bertholdus de Henneberg, archiepiscopus Moguntinus (1484—1504) et imperii archicancellarius, pari laude utroque munere functus, id quod scriptores et priorum et nostri saeculi ad unum omnes confitentur. Qualis vero quantaque fuerit Bertholdi ad regnum reformandum opera, recentiorum e numero Ranke solus fere satis bene perspexit [1]) idemque, ut vita illius separatim enarraretur, monuit. [2]) Cujus admonitione commotus hac commentatione, quantum in me est, studia ejus politica explicanda ita mihi proposui, ut integram vitae ejus imaginem exprimere in futurum tempus differrem.

---

[1]) Ranke, Deutsche Geschichte im Zeitalter der Reformation t. I, p. 84—165. — cf. Gfrörer, Gustav Adolph König von Schweden und seine Zeit p. 173 sqq. et 895. — Hagen, Deutsche Geschichte t. II, p. 92 et 93.

[2]) Ranke l. c. p. 121 et 122.

Simulac Bertholdus ascendit ad Moguntinam sedem, illa regni reformandi studia magno coeperunt vigore efflorescere, quae ultimis Friderici III imperatoris et primis Maximiliani I regis annis summo floruerunt robore et eodem tempore, quo Bertholdus vita decessit, praematuro fine interierunt. Dux atque auctor eorum Bertholdus fuit, cujus tota fere vita in illis consumpta est.

Qualia fuerint Bertholdi studia haec politica, qua ratione hic eis faverit, et quomodo illa successerint exponere, hujus commentationis summa erit.

§. 2.

Priusquam vero aggrediar ad disserenda Bertholdi studia politica, paucis verbis mihi declarandum est, quae et originis facultates et animi vires ad haec illi praesto fuerint.

Bertholdus vir erat, ut nobilitate et imaginum splendore, ita virtutum ornamentis haud vulgaribus in paucis conspicuus. Hennebergenses comites ad antiquam principum Romanorum, quae Italica voce Colonna appellatur, familiam originem referebant [1]) et media, quam vocant, aetate illustrissimi erant. [2]) Fridericus III imperator Prin-

[1]) Vd. fabula, quam hac de re profert Anonymi chronicon Thuringiae et Hassiae l. VII. cp. 27. ap. Senckenberg, Selecta juris et historiae t. III. — cf. etiam, quae de hac fabula judicant: David Chytraeus in chronico Saxoniae (ed. Lips 1611) IV p. 141 sqq. et autor (Joh. Ad. Schultes) operis: Diplomatische Geschichte des Gräflichen Hauses Henneberg t. I. — Schultes, Bertholdi, tradit, familiam hanc consanguinitatem plurimi fecisse; idemque tria diplomata affert hanc ad rem spectantia: primo (Nro. XCIX p. 602.) Antonius princeps de Colonna, secundo (Nro. C. p. 603.) Paulus II Papa, tertio (Nro. CIII p. 608.) Fridericus imperator comprobat, Hennebergenses comites a Columnensibus principibus justo jure ortum ducere. Ad quae Schultes addit: Subinane fuisse in praenobilibus Germaniae familiis, quod certam Germanicam originem despicientes ad dubiam Romanam refugissent.

[2]) cf. Spangenberg, Hennebergische Schriftsteller passim. — Schultes l. c.

cipum ordini eos adscripsit. [3]) Dividebatur gens Hennebergensis in duas familias, quarum altera Roemhildae, altera Schleusingae residebat. E familia Roemhildensi, quae etiam Aschacensis-Hartenburgica cognominabatur, Bertholdus ortum duxit. [4]) Pater ejus Georgius princeps erat pietate, prudentia ac fortitudine insignis, cui Joannetta conjux Nassoviensis comitis filia duodecim liberos peperit et natu minimum quidem a. 1442 Bertholdum. [5]) Fratrum e numero Philippus Bambergae episcopus, Georgius Ordinis Teutonici magister postea factus est. [6]) Bertholdus cum a. 1451 Moguntiae, Coloniae atque Argentorati canonici dignitatem consecutus esset [7]), jam puer a parentibus ad statum clericalem videtur destinatus fuisse. Ceterum de infantia ejus ac pueritia vix quidquam memorabile nobis traditum est: omni vero virium contentione eum tunc in studia incubuisse, doctrina ejus latissime postea patens manifestat. Ineunte jam aetate in aulam Friderici imperatoris videtur intrasse. [8]) Anno 1474 majoris ecclesiae

---

[3]) Hennebergenses, se Columnensium progeniem esse, affirmasse mihi videntur, ut ab ea re causam repeterent, cur et ipsi principum ordini adscribi vellent. cf. Schultes l. c. p. 380 sqq.

[4]) cf. Schultes l. c. p. 377. — Reusner, Opus genealogicum catholicum p. 26, qua stemma Hennebergensis gentis integrum exhibetur.

[5]) cf. Schultes l. c.

[6]) cf. Schultes l. c. — Reusner l. c.

[7]) cf. Schultes l. c.

[8]) Mallinkrot de omnibus S. R. J. cancellariis etc. p. 104 tradit: „Bertholdum Principem Hennebergen., postmodum archiepiscopum Moguntinum, fuisse Maximiliani primi Cancellarium, scribit l. 7. chron. Sanon. in princ. David Chytraeus: quod stare vix potest, eo quod Moguntiae sedere coeperit (a. 1484), prius quam Maximilianus imperarit. Nisi dicamus, antequam patri succederet, Officiarium eum habuisse, quod amplectendum videtur accedente etiam Bruschio in Archi. Ep. Moguntin. Catalogo, cujus verba haec sunt: „Fuit Maximiliani per multos annos Cancellarius aulae, aulam nusquam non sequens.“

Moguntinae decanus factus est [9]; et post mortem Alberti Saxonici una voce electus ascendit ad sedem St. Bonifacii die 20. mensis Maji a. 1484. [10] Ab Innocentio VIII P. M. confirmatus et pallio insuper donatus [11] magno populi et sacerdotum concursu in metropolitana ecclesia Moguntina a Joanne Dalbergio, doctissimo illo et celeberrimo Wormaciae episcopo, solemni ritu consecratus est. [12]

§. 3.

Sic principum in regno Germanico primus factus Bertholdus dignitate, potestate, opibus eminuit atque ad rem publicam capessendam in primis est adductus, quippe qui archicancellarii munere fungens maximam vim haberet tam ad civiles quam ad ecclesiasticas totius Germaniae res constituendas et conformandas.

Neque ei ad summa et gravissima negocia bene peragenda vires defuerunt. Cum enim semper in proximo imperatoris comitatu esset, publicarum rerum maxime factus est peritus; nec minus ei peritiae hujus ad regni utilitatem adhibendae praecipuae fuerunt animi et mentis indoles. Scriptores superiorum saeculorum [1] Bertholdum summis laudibus ornant tanquam virum omnibus omnino bonis artibus ac naturae dotibus laudatissimum, principem spectatum et honestum, praesertim autem praestantissimo ingenio praeditum, consilio valde prudentem ac sapientem, quique

---

[9]) cf. Joannes l. c. Nro. 2.

[10]) cf. Joannes l. c. Nro. 3.

[11]) cf. Joannes l. c. Nro. 4. — Gudenus, Codex Diplomaticus IV p. 462 sqq.

[12]) cf. Joannes l. c. II Nro. 1.

[1]) cf. Serarius, Res Moguntiacae p. 799—801. — Joannes l. c. passim. — Gudenus l. c. p. 263. -- Trithemius, chronicon Hirsaugiense, passim. — Chytraeus l. c. — Reusner l. c. — Mallinkrot l. c. — Bruschius Chronik fo. XI. — Müller, Reichstagstheatrum unter Friedrich V (III); unter Maximilian I; Reichstagsstaat, passim. — Datt, de pace publica passim. — Harpprecht Staatsarchiv des K. und Reichskammergerichts passim. — Schultes l. c. passim.

omnibus imperii optimatibus et eloquentia et virili patientia praestiterit; summa ergo, tradunt, eum in imperio auctoritate floruisse, et apud hos et apud Fridericum imperatorem plurimum eum valuisse; praesertim vero Maximilianum regem ejus consilio et adjumento in spinosis quibusdam negociis saepius usum esse.

Eo semper loco illum quaeramus, necesse est, ubi regni salus ejus animi virtutem et industriam requirebat. Ideoque haec commentatio in conventus imperiales praecipue nos ducet, ubi, ut ostendam, quo modo quibusque artibus regnum reformare atque augere cogitaverit, maxime praeclara ejus, quibus quaeque parta sunt, proposita eligam.

§. 4.

Atque ut primum quaeramus, quem et qualem rei publicae statum Bertholdus expetendum sibi finxerit, illud observandum est: patriae nostrae homines, quamvis iniquam illo tempore imperii condicionem tollendam esse consentirent, dissensisse tamen rem ipsam suscipientes, quum alii alia via rei publicae saluti vellent consulere. Duae praesertim sententiae inter se contrariae hac de re valebant, quarum utraque rerum publicarum statu qualis tunc erat, nitebatur, quo imperatoria potestas ad umbram quasi deducta et tota fere in principes erat delapsa.

Qui enim imperatoris causae addicti erant, regni unitatem et potentiam optime restitui posse putarunt, si imperator omnia jura sua plenamque potestatem recuperaret. Imperator, quod nomine et dignitate prae se ferret, re vera etiam denuo obtineret: omne jus civile atque inferior potestas ex illius jure ac potestate tanquam e fonte emanaret. Haec de re publica mutanda major sensit et melior, ut videtur, populi pars, in primis homines eruditi et horum in numero primi, qui dicuntur humanistae [1]), deinde nobilitas

[1]) cf. Hagen l. c. p. 40. — Janssen, Frankreichs Rheingelüste und deutschfeindliche Politik p. 9.

inferior [2], cives [3] denique et rustici. [4] Neque in ullo alio, nisi in ipso Maximiliano rege, caro et fideli viro, ut populi voce cognominabatur, patriae et spes et studia reponi posse, his videbatur. Ille profecto quasdam virtutes habuit, quae ut populi amorem ei parabant, ita spem excitabant, fore ut Germanicae nationis gloriam et honorem restitueret. — Maximilianus et ipse procul dubio talia consilia inde a prima juventute capta animo volvit. Vires roburque imperii, quae intestinis bellis terebantur, ad majora altioraque, quae universo populo prodessent, consilia persequenda convertere voluit; qua in re haud minimum ei auxilium tulisset ingens, quae tunc animos invaserat, agitatio.

Sed parum feliciter ei successit opera; obstabant enim principes [5], qui aliter de regno reformando cogitabant. Ut recedam ab iis, qui sua in omnibus commoda semper spectabant, fuerunt, Bertholdi quidem aetate, principes, qui alia ac Maximilianus via ac ratione plane idem, quod illi propositum erat, se assequi posse putarent. Nam vires imperii ita quam maxime uniri corroborarique censebant, si imperator de paucis, quae ei jam restitissent, imperatoriae potestatis privilegiis decederet, principesque ea sibi assumerent. Ea deinde condicione commune, quod principes

---

[2] cf. Hagen l. c. p. 97. — Janssen l. c. p. 11.

[3] cf. Hagen l. c. p. 26—32. — Janssen l. c. — Vd. etiam praeclara verba in Fürers Geheimbuch (ap. Lochner, Geschichtliche Studien p. 81 et 82): . . . „Zum andern so ist nit allein Nürnberg, sunder allen andern reichstädten von art niemand gewogener, denn die kaiser, sunderlich diesz österreichisch geblüt, das sich je und je gut städtisch erzeigt hat und zumal jetzt, weil es mit dem welschen geblüt, das mehr denn unser teutsche fürsten zu burgerlichen leben geneigt, vermischt ist, dieweil dann von art alle teutsche fürsten und aller adel den groszen städten und reichthum der burger feind ist, tag und nacht trachten, wie die zu dampfen und zu unterdrucken sein möchten, derohalben denn die städt auszerhalb ihrer selbst niemand haben, der sie schuczen oder schirmen kann, denn der kaiser“ . . .

[4] cf. Hagen l. c. p. 37—43. — Janssen l. c.

[5] cf. Janssen l. c. p. 12.

tali modo icerent, foedus fieri debere putabant, ut imperii finibus communi opere defendendis ad ejus auctoritatem et gloriam restituendam obligarentur. Regni formam appetebant, in qua summa potestas summumque regni regimen principum collegio competiisset; imperator adversus exteras nationes regni sacrosanctum caput esset, contra, quod attinet ad internas patriae res, summis administrationis et jurisdictionis collegiis tantummodo praesideret. — Hujus principum sententiae quasi parens factus est Bertholdus; hunc ergo in medio ponentes et ab eo usque repetentes integrum illorum regni reformandi conatum ante oculos ponemus.

Sententiarum modo expositarum natura ita ferebat, ut altera magis ad externas, altera ad internas magis imperii res respiceret. Imperatoris potentia hostium externorum, quae in regni fines fiebant, incursionibus semper in discrimen vocabatur, principes autem, nisi interno rerum statu antea in melius refecto, id quod volebant, assequi non poterant. Quam ob rem imperatorem semper eo tendentem videbimus, ut primum regni gloria et fortitudo ab externis hostibus integra reddatur, tum demum internus rerum ordo restituatur; contra Ordines, quos vocant, imperii intestina incommoda sine intermissione urgebant, quae tolli volunt, priusquam bella gererentur. — Ut imperatori opus est imperii auxilio, ita Ordinum consilia succedunt; si illius potentia crescit, cadit horum spes.

§. 5.

Jam in primis, de quibus jam nobis disserendum est, comitiis, Francofurti m. Febr. a. 1486 celebratis, ita res se habuit.

Fridericus imperator illa instituerat pluribus causis ductus, quarum potissima haec erat, ut Maximilianum filium regem Romanorum creandum curaret. Bertholdus in hoc conventu jura illa ac beneficia, quae Regalia vocarunt, sedi Moguntinae priore tempore concessa, ab imperatore requi-

sivit et consecutus est [1]), et statim tanquam regni Germanici archicancellarius res coepit administrare: Principes Electores litteris invitavit, ut convenirent ad Romanorum regem eligendum, talemque deinde in Septemvirorum concilio Maximilianum proposuit, qui omnium consensu electus est. [2]) Profecto Maximilianus rex praecipuis animi et mentis dotibus pollebat; sed insuper tunc animum aperuisse mihi videtur, de quo principes sperarent, fore ut servandis imperatoris privilegiis aeque ac pater ejus non studeret et principum conciliis magis, quam ille, faveret. Electorum enim nonnullos jam antea Maximiliani electionem animo volvisse, traditum est, quam vero imperator tunc repudiasset, fortasse quod idem ac principes de filio suo sensit. [3]) Ad quod principum de Maximiliano judicium stabiliendum Bertholdum plurimum contulisse liquet; nam ab eo, qui in proximo illius comitatu versatus eique, ut fertur vel amicitia conjunctus esset, certo exspectari potuit, ut omnium primus ejus indoles bene perspiceret, quam sententiam suam in Septemvirorum conventu referre haud neglexerit. Hanc ob rem Maximiliani creationem Bertholdi merito tribuere non dubito. [4])

Ordines, quod imperatoris filio Romanorum regis honores ac dignitatem parantes illius votis satisfecissent, eum jam ad suas, de regni salute quas susceperant, cogitationes peragendas se moturos esse putaverunt; quapropter

---

[1]) cf. Joannes l. c. Nro. 3. — Janssen, Frankfurts Reichscorrespondenz II. 1 Nro. 610 p. 435. — Senckenberg l. c. Nro. 14 p. 525 sqq.

[2]) Vd. omnia diplomata ad Maximiliani electionem spectantia ap. Müller, Rt. Th. unt. Max. I cp. I p. 5—15. — cf. ejusd. Rt. Th. unt. Friedr. VI. cp. I p. 7.

[3]) cf. K. Haltaus, Geschichte Maximilians I p. 53.

[4]) Mecum facere videntur Haltaus l. c. et Pfister, Deutsche Geschichte II. p. p. 565. — Fortasse etiam haec agens Bertholdus se gratum praebuit imperatori ejusque filio, quibus, cum eorum in aula diu occupatus esset, instigantibus factum esse videtur, ut a. 1484 eligeretur archiepiscopus Moguntinus.

cum Ordinum auxilium adversus Hungaros et Turcos peteret imperator, illi, ferendum quidem esse censuerunt, sed valde opus esse, ut antea pax et justitia in imperio instaurarentur. Quo consilio Bertholdus ad ea respexit, quae priore tempore de pace publica per imperii terras communi lege sancienda judicioque summo ad majores causas disceptandas constituendo in lucem venerant, de quibus porro consuluerunt Ordines, quotquot fuerunt praesentes.

Prima res magnam difficultatem non praebuit: Rege Romano benigne annuente Pacis Publicae nova Constitutio facta et (17. Mart.) in regnum universum edita est.

Cum vero ad secundam postulationem transirent Ordines, et Electores et ceteri Principes alii alia lineamenta justitiae tribunalis constituendi, quod postea Camera Imperialis vocabatur descripserunt. Et horum et illorum sententia eo intendebat, ut hoc judicium ab imperatoris arbitrio magis magisque liberaretur principumque manibus imponeretur, qua vero in re, quod Principes confecerant, propositum jam longius progressum est, quam illud quod Electores conceperant. [5]) Bertholdus enim, qua erat prudentia, judicium illud pro tempore non tam solutum voluit ab imperatoria potestate, quippe qui optime sciret, multa jam in suspenso tenenda esse et reticenda, ne senex imperator, juri suo ac privilegiis obtinendis enixe studens, quid sibi a principibus immineret, plane suspicatus, eorum consilia praeoccuparet conatusque futuros omnes infringeret. [6])

---

[5]) cf. Müller Rt. Th. aut. Friedr. Vorst. VI, cp. III, p. 22. — I) Rathschlag gemeiner Fürsten: . . . dass unser gnädigster herr der römische Kaiser das cammergericht eröffne, es ohne Unterlass gehen lasse, sich darin oder dawider nur ordentlicher Gewalt und nicht der Vollkommenheit Kaiserlicher Gewalt bediene. Seine Gnad fördere keine Sache an sich, mache keine anhängig, nehme auch keine ab; seine Gnad restituire auch Niemanden in integrum, als aus ursachen in rechten erlaubt ist . . . .

[6]) cf. ibid. II) der Churfürsten antwort auf der gemeinen Fürsten Rath-

Haec prorsus non fefellisse archiepiscopum, mox apparuit; nam ne Electorum quidem propositum Fridericus illico accepit, sed ad deliberandum cum consiliariis suis retinuit. [7])

Dum de his rebus utrimque agitur, matricula, quae dicitur, major et minor constituta, ita tamen ordinata est, ut pecunia quoque, quam Ordinum cuique militum loco solvere liceret, secundum singulas horum terras definiretur. Cum Imperii Civitatibus, imperator, se ipsum agere velle, declaravit, quo facto in proximis regni Comitiis omnia se ordinaturum esse ac decisurum. [8])

§. 6.

Comitiis habitis Bertholdus imperatorem ejusque filium Aquisgranum comitatus est, quo magna cum pompa intravit unaque cum Coloniensi archiepiscopo Maximilianum regem Romanum (9. April.) coronavit. [1])

Deinde cum redux imperator principum conventum Coloniae haberet ibique auxiliis praestandis iterum iterumque insisteret simulque, se edictum severum, quod ad imperii Civitates praecipue respiceret, emissurum esse declararet, Bertholdus principes praesentes in domicilio suo con-

schlag: . . . dass wir ihre betrachtung für vernünftig und den rechten gemäss erachten, wir hatten auch nicht unterlassen wollen . . . . der Kais. Maj. . . . . auch unsern rath und gute Meinung zu eröffnen, doch in einem ziemlichen Masz und anfänglich nicht so weit, wie es durch ihre lieb verzeichnet wäre, damit die Kais. Maj. nicht Missfallen empfinge, als ob wir, die wir jetzt auf sämmtlich Ordnung drängen, auch der Kais. Maj. das Vollkommene ihrer Oberhoheit beschneiden und entziehen wollten . . . cf. Harpprecht c. I p. 80 sqq; — Pfister l. c. p. 566. Ranke l. c. p. 92—94.

[7]) cf. Müller l. c. cp. III p. 21—24; coll. cp. V Nro. 2 p. 29 et XIV p. 69.

[8]) cf. Müller l. c. cp. II p. 8—21.

[1]) cf. Müller l. c. cp. IX p. 50; unt. Max. cp. p. Ioannes l. c. III. Nro. 6.

gregavit, qui consiliis agitatis imperatori responderunt, auxilia praeberi non posse, nisi antea ille Camerale Judicium tale ut Francofurti praepositum esset, instituisset; edictum vero ne emitteret, petierunt. Imperator deinde se tale judicium instituere posse negavit, imprimis proscriptionem imperialem sibi reservandam esse, neque ad solvendum judici et adsessoribus pretium sese posse obligare: quod responsum principibus haud placuit, ideoque haec res imperfecta remansit. [2])

Moguntinus Elector Coloniae a rege recens coronato petiit quoque et impetravit, ut ille omnia jura et privilegia archiepiscopatui Moguntino priore tempore concessa confirmaret, [3]) qua ex re intelligi potest, quanta in gratia tunc apud regem fuerit.

Praeterea archiepiscopo Moguntino Coloniae sorte cecidit, ut pecuniae Francofurti imperatori promissae primam solutionem a parte Electorum Norimbergae acciperet. [4]) Cujus solutionis sub ejusdem 1486. anni finem in Electorum conventu Francofurti habito rationem reddidit per secretarium suum; [5]) quo in conventu legati, quotquot adfuerunt, facta rogatione etiam decreverunt: si de auxiliis praestandis aliquid ad dominos suos denuo [6]) perlatum foret, singillatim nihil hos acturos esse, sed, in collegio hoc deliberandum esse, responsuros, et, quid sibi hisce de rebus

---

[2]) cf. Müller Rt. Th. unt. Friedr. l. c. cp. XIV p. 69 sqq. Harpprecht l. c. §. 133 p. 81.

[3]) cf. Gudenus l. c. Nro. 525 p. 475.

[4]) cf. Müller l. c. cp. XV §. 3 Nro. 2 p. 71—73.

[5]) cf. Müller l. c. cp. XVII p. 73—76.

[6]) Müller ad hoc annotat.: „Der II. Punct concernirt das andre Ziel, und gleichwie in nurbesagtem Protokoll art. 4 zu finden, dass, wenn Ks. Mj. das Kammergericht verlangter Massen nicht aufrichte, man mit Bezahlung des andern Ziels innehalten wollte, und da die desiderirte Aufrichtung des Kammergerichts aussblieb, so wurde die vorher abgeredete suspension quoad rem ipsam confirmiret.“ l. c. §. 2 cf. verba Recessus hujus conventus ibid.

videretur, Moguntino Electori unumquemque esse scripturum. [7])

Haud obscure haec produnt, Bertholdum jam hoc tempore collegas suos movere voluisse, ut communiter tantum agerent adversus imperatoris artem politicam. Idemque mense Decembri ejd. a. in Civitatum conventu egit Spirae celebrato, quem supranotatum Friderici edictum excitaverat. Imperator vero et ipse Spiram se contulit, ut de auxiliis ferendis cum Civitatum legatis ageret, et quatuor Rhenanos Electores illuc vocavit. Hi, Trevirensi excepto, qui legatum misit, ibidem coram adfuerunt; sed, cum imperator ab iis peteret, ut se adjuvarent ad movendam Civitatum voluntatem, Bertholdus et collegae ejus hoc recusaverunt, quod nisi ceteris Electoribus consentientibus aliquid ejusmodi facere sibi non liceret. [8])

§. 7.

Quae Electorum refutatio imperatorem impulit, ut Imperii Comitia Norimbergam ediceret (ad m. Maj. 1487). Bertholdus ad ea statim se contulit, ut viam, quam Francofurti ingressus erat, persequeretur; quae res in hoc Norimbergensi conventu [1]) bene processit.

Neque enim imperator et consiliarii ejus neque Bertholdus ejusque amici ignorabant, quantum in disceptatione de regni reformandi via ac ratione Civitatum Imperialium valeret suffragium. [2]) Archiepiscopus ergo pro magna sua

---

[7]) cf. Müller l. c.

[8]) cf. Müller l. c. cp. XVIII p. 76—78. — Lehmann l. c. cp. CXVI p. 839—895.

[1]) cf. Müller l. c. cp. XX. sqq. p. 80. sqq. — Joannes l. c. IV. Nro. 1.

[2]) cf. Hagen l. c. p. 97: „Es war . . . ganz in ihrem (der Städte) Vortheil, dass der Kaiser beschränkt werde, und so waren sie in die Ansichten des Kurfürsten Berthold von Mainz sehr gerne eingegangen, der die Wichtigkeit der Städte erkennend nichts versäumte,

prudentia illas ad suas causas trahendi occasionem, quae hac in curia se obtulit, avidissime amplexus est. Hae Civitates imperatoris causam semper fere secutae erant; sed mutatum animum induere hoc tempore paraverunt. Suis enim rebus omnium primo consulentes pecuniae postulationes in Comitiis sine intermissione factas aegre tulerunt, qua re imperatoris consiliis paulatim in primis adversati sunt. Publicorum scilicet onerum partem sustinebant Civitates longe majorem, cujus rei causa potissima haec erat, quod earum patrocinium in rebus deliberandis ac decidendis satis susceptum non erat parumque pro gravitate earum oneribusque, quae iis injungebantur, causa earum defendebatur. Quod quum iniquissimis animis ferrent et hoc quoque in conventu officiis in collegium suum devolutis obstringi nollent et apud Electorem Moguntinum „se in secreta concilia admissas non esse" conquererentur, ille auctoritate sua, qua plurimum valebat apud imperatorem et principes, effecit, ut ad delecta concilia Civitatum quarundam legati adsciscerentur. Civitates, quae a rei publicae administratione ad tempus usque prorsus fere segregatae fuerant et exclusae, in illius gubernandae partem quandam vocandas esse, censens Bertholdus simul Comitiorum Imperialium formae mutandae primam manum imposuit. [3])

Deinde, cum de opibus praestandis ageretur, Bertholdus, antequam auxilia ferri possent, pacis publicae et Cameralis Iudicii rationem haberet imperator, necesse esse

---

um sie für seine Plane zu gewinnen und ihnen daher auch êinen grösseren Antheil an der Reichsregierung zugesichert hatte."

[3]) cf. Müller l. c. cp. XX et XXI p. 80—82. — Lehmann l. c. CXVIII p. 915. Civitates inde ab hoc tempore ad delecta concilia admissae esse videntur, quo factum est, ut de Comitiorum decretis exsequendis magis cogitarent. Altiora autem, quam quae disputavi, Bertholdum in hac re spectavisse, mihi satis probatum non est. Nam iis etiam, quae postero tempore in Civitatum commodum facta sunt, causa earum notabiliter immutata non est.

declaravit;[4]) idemque, dum res aguntur, Ordinibus quaedam capita subjecit, quae Pacis et Camerae Constitutiones uberius exponerent. Hi consiliis habitis, quid de iis sibi visum esset, imperatori aperuerunt; sed nihil novi de duabus hisce rebus statutum est, cum imperator foederis Suevici pactioni jam esset intentus,[5]) de qua quanta fuerint Bertholdi merita, statim explicabo. Jam in hoc conventu Norimbergensi Fridericus imperator Sueviae Ordines edicto cohortatus est, ut ad pacem publicam, quae Francofurti convenisset, inter se servandam ac tuendam se sociarent.[6])

Priusquam vero hoc foedus iceretur, Maximilianus rex a Bruggae civibus nefario ausu captus est (5. Febr. 1488), quo audito imperator universum imperium ad arma vocavit.[7]) Principes Electores Confluentiae communicaverunt consilia et litteris ad Bruggenses missis eos hortati sunt, ut regem dimitterent e custodia.[8]) Cum vero imperator per singularem legationem Bertholdo militem imperaret, ille, etiam in hac afflicta regis condicione, ad hoc communibus consiliis opus esse, ratus Septemviros ad conventum invitavit Herbipoli habendum.[9]) Hujus quae fuerint decreta, dicere nequeo; sed Bertholdus paulo post imperatori militum manum auxilio misit eandemque in castris aluit usque ad mensem Majum, quo tempore Maximilianus rex liber dimissus est.[10])

---

[4]) cf. Müller l. c. cp. XXII et XXIII p. 112–126. — Datt. l. c. I Nro. 8 p. 204. — Lehmann l. c. cp. CXVIII p. 989–994.

[5]) cf. Müller l. c. cp. XXIII p. 122.

[6]) cf. Datt. l. c. II cp. VI p. 272 et 273. — Müller l. c. cp. XXXVII p. 158.

[7]) cf. Müller Rt. Th. unt. Max. I cp. V §. 36 p. 72.

[8]) cf. Müller l. c. §. 35 p. 71.

[9]) cf. Müller l. c. § 37 p. 73. — Joannes l. c. Nro. 10.

[10]) cf. Joannes l. c. Nro. 11 et 12.

§. 8.

Friedericus imperator, quem hoc tempore et alii hostes et in primis Bavariae duces vexabant, cum in publicis imperii conventibus nihil auxilii se accepturum esse persuasum haberet, in angustiis his ad consilium revertit, quod persequendum jam a. 1466 ei propositum erat: [1]) Sueviae Ordines, quae terra ei erat immediate subdita, consociandi. Concitavit eum pro tempore ad hoc Maximilianus filius, qui ipse a Bertholdo permotus esse traditur. [2])

Tale foedus magnum firmamentum rei publicae fieri potuit adversus Flandrorum et Burgundionum consilia, immo sperari potuit, fore ut universorum Imperii militarium institutorum fundamenta in eo poni possent. Ordines vero Sueviae ad hoc foedus faciendum movere, valde difficile non erat: nam civitates in eo jam ob magnum numerum primas partes agerent, necesse erat; insuper, ducum Bavariae conatus nisi infringerentur, summum instare libertati suae periculum, haud ignorabant: nobilitas autem inferior in ejusmodi foedere majus praesidium habebat, quam in communi Imperialium Ordinum societate. [3]) — Foedus igitur pactum est Esslingae die 14. Febr. a. 1488. [4]) Sociati mutuum auxilium sibi polliciti sunt adversus unumquemque externum hostem; discordiis autem inter ipsos socios sedandis judicium e medio suo constituerunt. [5])

---

[1]) cf. Müller Rt. Th. unt. Friedr. l. c. cp. XXXVII. p. 157. — Pfister l. c. p. 569.

[2]) Pfister (cf. p. c.), Hugonem de Werdenberg, putat, Friderico imperatori foederis Suevici pangendi consilium dedisse. Sin scriptorum verba simpliciter sequimur, etiam primi consilii meritum ad Bertholdum referamus, necesse est. cf. Crusius, Annales Suevici IX. Part. III. cp. 1. — Datt. l. c. II cp. IV. p. 255. — Mallinkrot l. c. p. 102. — Müller l. c. p. 158. — Buschius l. c. — Joannes l. c. V Nro. I

[3]) cf. Staelin, Würtembergische Geschichte III p. 624

[4]) cf. Datt. l. c. II cp. VII et VIII p. 276—285.

[5]) cf. Datt. l. c. — Staelin l. c.

Quibus in rebus hoc fortasse quispiam miratur, quod Bertholdus, cujus consilia suscepta imperatoria potestas sic valde aucta maxime potuit impedire, huic foederi pangendo tantopere faverit? Sane quidem, quamvis Bertholdus et imperator consentirent in icendo hoc foedere, tamen valde diversam rationem sequebantur. Friedericus quid de eo senserit, jam supra disserui; Bertholdus ad duas praecipue res tendebat: Primum ad pacem publicam firmandam hoc foedus multum valebat, quam antea stabilitam omnia a Bertholdo capta consilia requirebant. Deinde consociatos, ut principum potentiorum nonnulli ad foedus se applicarent, desideraturos esse, plane intellexit archiepiscopus ipsumque, si peteret, ut in consortium ejus reciperetur, ab illis hoc etiam se impetraturum esse. Societatis autem si particeps factus erat, pro magna sua qua per imperium floruit, potentia atque amplitudine aliter fieri non potuit, quam ut plurimum valeret ad omnes foederis res peragendas.

Quam ob rem jam mense Majo ejd. a. per legatos de accessu suo egit cum foederis sociis. [6]) Quos vero Fridericus imperator monuit, ne societatem inirent cum archiepiscopo Moguntino, quia sparsum in tot regni potentissimos principes foedus plus periculi quam utilitatis sociatis afferret. [7]) Sensisse videtur senex imperator, quid Bertholdus moliretur; et tali modo periculum praevertere voluit, ne foedus Suevicum ad ea, quae principes sequebantur, conficienda quid conferret. Mutavit autem animum paulo post et Electori ipse scripsit (4. Decbr.), ut foederi se sociaret. [8]) Sociatorum ipsorum desiderio ad hoc mandatum edendum motus esse mihi videtur. Sed utcunque res se habet, Bertholdus imperatoris jussum efficere properavit,

---

[6]) cf. Staelin l. c.

[7]) cf. Staelin l. c. — Müller l. c. — Datt l. c. II cp. X p. 302.

[8]) cf. Staelin l. c. — Müller l. c. — Datt l. c.

itaque ad foedus accessit (m. Jan. 1489) Gmündae Suevorum, ubi coram adfuit. [9])

Neque cum imperator praecipuis quibusdam principibus ad foedus Suevicum adscitis mandaret, ut peculiares societates inirent ad Francofurtensis Pacis capita magis defendenda [10]), Bertholdus hoc facere neglexit, sed iisdem diebus Eberhardum Barbatum, Würtembergiae comitem, amicum per multos annos sibi carum, deinde alios quosdam principes illustres sibi sociavit. [11])

Atqui foederis Suevici ut progressus, ita in dies magis crescens potentia a prioris temporis scriptoribus unanimiter ad rationem refertur, quae Bertholdo cum eo fuerit. [12]) Certe hujus foederis successus et incrementum summae ei erant curae; subditis enim suis, se nomen illi dedisse, nuntians, ut sibi assisterent preces pro foederis salute pie fundendo, etiam atque etiam cohortatus est. [13])

Quam autem vere judicaverit Elector huic foederi nectendo favens, paulo post jam apparuit, cum socii pro suo arbitrio agerent votisque imperatoris non satisfacerent. Ille quidem, ut foedus sibi adjumento esset adversus Hungaros et Flandros, exspectavit; sed ipsi sociati adversus Georgium Bavariae ducem quam primum arma capere desideraverunt. Quae quum ita essent, discordiaeque inter ipsos socios imminerent, archiepiscopus Moguntinus in conventu, Esslingae habito eos monuit, „ne, si imperator foedus dissociare pararet, illius mandata persequerentur.“ [14]) Sed Maximilianus rex hoc periculum praevertit pacem concilians inter Bavariae ducem et foederis socios. [15])

---

[9]) cf. Staelin l. c. p. 626. — Datt l. c. p. 303. — Joannes l. c. V Nro. 1.
[10]) cf. Datt l. c. p. 307.
[11]) cf. Datt l. c. — Joannes l. c. Nro. 2.
[12]) cf. supra Nota 2.
[13]) cf. Joannes l. c. Nro. 3. — Gudenus l. c.
[14]) cf. Staelin l. c. p. 629.
[15]) cf. Staelin l. c.

§. 9.

Eodem a. 1489. m. Maj. Francofurtum se contulit Bertholdus, quo imperator regni proceres convocaverat. His Comitiis praefuit Maximilianus rex et Ordinum flagitavit opes adversus Francogalliam, Hungariam ac Flandriam.

Qua regis petitione facta, Moguntinus Elector Ordinum nomine ad deliberandum tempus sibi postulavit idemque consultationibus finitis respondit: Periculum regno imminens plane se intelligere; sed quamquam saepius jam auxilia ipsi praebuissent, se ad tempus spectare non posse utilitatem regno his allatam eosdemque se, quae hujus rei causae sit, prorsus ignorare. Nihilo minus ad opem praestandam se esse paratos, dummodo audirent, quantam, quod ad tempus et quo modo rex eam peteret; sed, fore ut illa imperio tandem aliquando quid prodesset, se fidenti esse animo. [1])

Deinde in decernendis auxiliis Bertholdus rursum cum Civitatum legatis multum habuit negocii. Cum enim hi ex onere in eos devoluto magnam molestiam iterum animo cepissent, archiepiscopus iis proposuit, ut ipsi matriculam conficerent, qua, quot milites quaeque urbs daret, indicarent. Sed neque hoc facere nec matriculam principibus probatam accipere voluerunt. [2]) Itaque hi exclusis civitatibus in numeros tribuerunt milites conducendos: quasdam minores copias quam primum imperatori se esse comparaturos, promiserunt, majores vero ea tantum condicione se esse paraturos, ut pacis Francofurti sancitae et fori per imperium judiciarii debita ratio haberetur, per Bertholdum regi declaraverunt. [3]) Matricularum igitur exemplaria scripta

---

[1]) cf. Müller Rt. Th. unt. Fried. cp. XXXIX p. 162. — Orationem integram habet Lehmann l. c. cp. CXX p. 926.

[2]) cf. Müller l. c. p. 163 sqq. — Lehmann l. c. — Datt. l. c. IV. cp. I p. 708.

[3]) cf. Müller l. c. p. 162; coll. cp. XL p. 169 sq.

Civitatum legati poposcerunt, quae magistratui suo unusquisque traderet; quod vero Moguntinus Elector praecise negavit.[4]) Percrebuerat enim illo tempore pravissimus mos, ut, quae in Comitiis agebantur, eorumque disceptationes infructuosae imperii hostibus palam fierent, et dubiae exiguaeque matriculae ad eos deferrentur. Bertholdus timuit, ne, quid imperatori deesset virium, Françogalliae et Hungariae regibus cum magno imperii damno renunciaretur. Etiam postea saepius occasionem nactus est archiepiscopus in malam Ordinum mentem vehementius hanc ob rem invehendi.

Denique, quot adfuerunt, Ordines regem rogaverunt, ut patrem moveret ad gravamina sua et querimonias, quae de pace et judicio per imperium restituendis jam saepius ipsi protulissent, tandem aliquando diligenter respicienda, id quod Maximilianus rex et ipse pro sua parte se facturum esse, pollicitus est, permotus ad hoc praecipue Bertholdi cohortatione.[5]) Quae res digna est, in quam animum advertamus; nam hac promissione Maximilianus se obligaverat ita, ut Ordinum spem confirmaret, magis, quam pater fecisset, voluntati eorum se esse assensurum.

§. 10.

Proxima Imperii Comitia Friedericus imperator Norimbergae a. 1491. m. April. rerum Hungaricarum causa fecit. Paulo ante, ut Ordinum sibi conciliaret animum, Camerale Iudicium in sua aula instituerat.[1]) Eodemque, quo ad Comitia vocavit regni primores, edicto milites quoque adducere, eos jussit; sed Ordines cum advenissent, sibi non

---

[4]) cf. Müller l. c. cp. XXIX p. 165.

[5]) id quod Ranke l. c. p. 121 affirmat.

[1]) cf. Datt. l. c. cp. IV. cp. 1 p. 708 et 709. — Harpprecht l. c. 1 § 138 p. 83; Urk. Nr. XLVII p 279.

rogatis imperare auxilia imperatori non licere, declaraverunt; hoc juri suo obstare. [2])

Ceteris in rebus eadem fere in hoc conventu, quae Francofurti, acta sunt. Atqui in describendis Bertholdi studiis politicis silentio ea me prorsus non debere arbitror praeterire, quia ille lineamenta Constitutionis, quae res publicas domi bellique regeret ac moderaretur, imperatori Norimbergae tradidisse fertur. [3]) „Comitia vel Imperii conventus quotannis fixo temporum spatio habendi praecipua regni negocia administrarent, archiepiscopus censuit, iidemque opes militares exigerent, ad quas statuendas regnum in sex provincias divideretur, quibus duodecim centuriones praeessent." Sed imperator hoc Bertholdi propositum repudiavit. — Hujus Constitutionis et ipsam delineationem Bertholdo tribuere haud dubito; nam in comitiis Wormaciensibus, cum Regimenti, quod vocant, institutio ei non succederet, ad hoc propositum Bertholdus revertit, ut suo loco videbimus; insuper opus a Bertholdo inceptum tali modo ad pefectionem quandam adductum esse, liquet.

§. 11.

Ille igitur, cum per senem principem, quippe qui jura sua anxie servaret, nihil se assequi posse persuasum haberet, consilia sua persequenda ad tempus rejecisse videtur, quo Maximilianus rex imperii clavum teneret.

Friderico regnante nunquam, nisi in solis Comitiis Confluentinis a. 1492 m. Octbr., in publicis negociis occupatum eum conspicimus. Imperator et rex Romanus in hoc conventu Ordinum auxilium implorarunt, quo ignominiam sibi per Carolum VIII Francogalliae regem illatam ulciscerentur, qui Maximiliani sponsam rapuerat simulque

---

[2]) cf. Müller l. c. cp. XLIX p. 194.

[3]) Ranke l. c. p. 106 hoc affirmat, qui respicit ad convolutum in Dresdensi archivo conservatum. cf. p. 115. — Rankium sequitu Gfrörer l. c. p. 179 et 180.

filiam. hujus sibi desponsatam repudiaverat.[1]) Sed quamvis inhonestissime et turpissime Gallorum rex se gessisset, quamvis totus orbis christianus exhorresceret in hac spretae contemptaeque fidei injuria, Germanici principes omnem sensum deposuerant publicae honestatis, neque iis curae erat, quod universum imperium regem Romanorum deludens Gallus sic ludibrio haberet.[2]) Et quod valde mirari licet: Bertholdus et ipse et in primis quidem opibus praestandis adversatus est. Quin etiam aegre tulit, quod quaedam imperii Civitates regi jam ultro auxilium tulissent;[3]) et in ipso hoc conventu causas, quibus ducti Ordines auxilia denegarent, his fere verbis exposuit: Ordines Imperii duo, quae condicta essent, tributa persolvere non posse; nam si hoc facere vellent, Electorum quisque 50000 fl. penderet, necesse esse. Deinde si matriculae confectae essent, alios earum rationem habere, alios eas non respicere, quibus hoc condonaretur, ab aliis dimidium vel partem accipi; primum hodie venire, secundum cras, tertium praeterlapsa media anni parte. Tali modo fideles Ordines opes suas infringere, et tamen pro regni utilitate nihil factum esse. Et Ordinum et imperatoris legatos ad publicos conventus deliberandi causa venire; sed, quod deliberatum fuisset, imperatori prius referri, quam ipsi quid responsi dedissent; sic dicendi libertati derogari. Regem dixisse: si ipse pessumdatus

---

[1]) cf. Müller Rt. Th unt. Max. I cp. XXIII p. 150—162. — Lehmann l. cp. CXXI p. 935 et 936.

[2]) cf. Hagen l. c. p. 90 . . . . „Die deutschen Fürsten nämlich hüteten sich wohl, dem Oberhaupte der Nation in seinen Streitigkeiten mit seinen Feinden beizuspringen, weil si dadurch nur die Macht desselben vermehrt hätten, und Frankreich auf der andern Seite wusste die Eifersucht der deutshen Fürsten vortrefflich zu benutzen, um Maximilian im Schach zu halten.“

[3]) In Lehmanni operis citati editione quarta hanc invenio annotationem, quam priores editiones non habent: NB. Churfürst Berthold zu Mayntz ware mit den Städten unzufrieden, weil sie mit der Hülff zu sehr geeilet und damit den Eingang zum kleinen Anschlag gemacht. cf. p. 935.

esset, etiam Ordines perituros esse; sed regem, quae sua essent, conservasse, contra si Ordines sua amisissent, neminem esse, qui sibi quidquam restitueret, neque sic regnum in posterum se posse adjuvare.[4]) — Quae Bertholdi dicta plures ob causas sunt notabilia: nonne, illius summam fuisse in imperio auctoritatem, contra imperatoris et regis potestate et auctoritate illo tempore nihil fere miserius aut dici posse aut cogitari, fatebimur, cum ille rege coram haec loqui ausus, hic vero Electorem talia verba facere passus sit? Nonne ex hac oratione censemus miserrimam patriae condicionem, quod toto fere medio aevo omnes terrae dominationes splendore ac potentia superaverat, — miserrimam etiam, qua principes in patriam essent, voluntatem?[5])

§. 12.

Friedericus III imperator conventus publicos amplius non egit; ille enim, quem Francofurtum edixerat, locum non habuit.[1])

Civitates autem compluries Friderico regnante jam convenerunt. Spirae (30. Novbr. a. 1492.) haec inter alia statuerunt: Ad proxima imperii Comitia unaquaeque urbs legatos suos mitteret, qui, si excluderentur a delectis conciliis, hac de re conquerentur apud imperatoris conciliarios; si principes auxilia recusarent, Civitatum legati horum sequerentur

---

[4]) cf. Lehmann l. c. et p. sq.

[5]) Quod si quaerimus, quibus ex causis haec tam miserabilis res repetenda sit, illud maximam vim habere videtur, quod Hagen l. c. p. 90 et 91 dicit: „Es (Frankreich) knüpfte seitdem namentlich mit den rheinischen Fürsten Verbindungen an, welche auf die Entwicklung der deutschen Verhältnisse einen unheilvollen Einfluss äusserten. Und gerade dieser Umstand war eine der wesentlichsten Ursachen, warum der deutsche Kaiser nicht so entschieden mit seiner inneren Staatskunst voranschritt, als er es wohl gewünscht hätte."

[1]) cf. Müller Rt. Th. unt. Max. l. c. cp. XXVI p. 174—192.

sententiam; sin autem hi acciperent tributa talia, ut condicta essent, cujusque Civitatis legatus, sibi antea hac de re magistratui suo referendum esse, responderet; denique si quae mandata de auxiliis praebendis ad Civitatem quandam venirent, nuntiaret illa rem istam Civitatibus proxime sibi sitis.[2])

E quibus dictis apparet, Civitatibus nihil cordi fuisse, nisi ut suas res amplificarent atque augerent; et tamen hae Civitates plurimum pecuniae habebant, quam adhibere egregie sciebant, quando de ipsarum utilitate agebatur.

Quid sperari potuit a talibus Ordinibus pro regni salute, qui commoda habere semper, onera vero suscipere nunquam vellent? Sed haec Civitatum reluctatio inprimis fuit, qua Bertholdus ad persequenda, quae de regno reformando ceperat, consilia uti potuit neque uti neglexit. Sane quidem ille, ubi necesse erat, causam suam cum Civitatum causa communicavit, ut imperatorem moveret ad comprobanda sua proposita.

Sic res se habuerunt, cum Fridericus imperator vita decessit. Simulac Maximilianus I rerum Germanicarum plene potitus est, Bertholdi studia politica in meliorem statum converti coepta sunt, quapropter commentationis parti primae finem hic pono, paucis verbis ea, de quibus disputavi, complectens.

Si jam sub uno quasi conspectu ponimus, quae Bertholdus usque ad Friderici mortem persecutus est, quae proposuit, quaeque partim decreta evicit, haec fere summa conciliorum factorumque ejus apparebit.

Eo praecipue nitens, ut regni internum statum ordinaret, nihil antiquius habuit, quam ut pacem publicam firmaret, quo consilio primum, quae aderant, Pacis Publicae Constitutiones corroborari et confirmari studebat.

---

2) cf. Müller l. c. §. 2—4 p. 176.

Deinde ad haec perficienda summum in regno judicium constituendum esse censebat, cui omnes parere vellent et deberent quodque, si qui pacem violassent, ulcisci posset; Camerae instituendae, quae hoc propositum sequens conscripserat, lineamenta, eum, quantum fieri posset, e regis potestate judicium illud eximere principumque et praesertim Electorum in manibus imponere parasse ostendunt. Sic enim minus verendum esse putavit, ne pacis constitutae fides ab Ordinibus eorumque subditis non servaretur. — Friderico regnante tale judicium ut institueretur, ei non evenit; sed id saltem perficere potuit, ut pacis publicae ambitus major redderetur.

Cui paci insuper Suevicum foedus commendans fortissimum subjunxit adminiculum. Praeclarum hoc foedus summi quoque momenti erat ad imperii auctoritatem et gloriam stabiliendam.

Hoc Bertholdus iis, quae ad regnum melius administrandum proposuerat, praesertim Imperii Comitiis ad formam magis fructuosam redactis, se perficere posse putavit. Qua in re hoc potissimum agebatur, ut singulorum Ordinum jura et officia magis sibi responderent. Aliter enim, quae in conventibus publicis decreta essent, turbatissimis illis temporibus fore ut subditi ea exsequerentur, sperari non posse, ei visum est. Quapropter etiam omni ope atque opera enisus est, ut, quo Civitatum controversiam tolleret, major vis ac pondus in Comitiorum consultationibus iis accederet. Quae res et ipsa ei feliciter successit.

Cogitationum vero, quas de regni salute susceperat, summam complexus esse mihi videtur illa, quam a. 1491. Norimbergae praesentibus subjecerat, rei publicae constitutione.

Ex his, quae disputavi, manifestum est: Bertholdi consilia et proposita superiore cogitatione inter se connectebantur, quae imperii Germanici res publicas et mutare et reficere parabat. Si Princeps Elector ea, quae voluit, evicisset, imperium Germanicum res publica facta esset

principipum collegio subjecta. Condicio, qua imperium tunc utebatur, consiliis ejus peragendis maxime favere videbatur: imperatoria potestas et auctoritas valde diminuta erat; Principes contra, et in his praecipue Electores directo, quo in terris fruebantur, imperio praepotentes erant. Nobilitatem vero inferiorem et civitates, quibus innisus imperator ad suum commodum regni reformationem peragere potuisset, illo negligente, Bertholdus paulatim in suas partes adscivit.

Pars II.

§. 13.

Quantopere Bertholdus rerum, quae ad populum gubernandum ac rem publicam administrandam pertinent, peritia, sapientia, perspicacitate in conciliis prae ceteris eminuerit, ex his, quae sequuntur, magis jam elucebit, quam ex priore parte.

Jam in primis, quae Maximilianus rex patre defuncto Wormaciae m. Mart. a. 1495 habuit, Comitiis [1]) ille omnium primus oculos ad se convertit; eorum, quae illa fecerunt in annalibus celeberrima, longe plurimum Bertholdi opus est.

Maximilianus rex incitatis verbis Ordines ad bellum contra Francogalliam, imperio natum hostem, communi ope atque opera movendum cohortatus ab eis auxilia rogavit, tum celeria quaedam in Italiam mittenda, tum stata et perpetua decem vel duodecim annis praestanda, quibus quodque reipublicae detrimentum praeverti regnique gloria et auctoritas adversus omnes hostes sive internos sive externos defendi posset. [2]) Quamquam vero causae a rege allatae aequiores fuerunt et aptissimae ad persuadendum, tamen Ordines, et in his praesertim Civitates, ejus verba

---

[1]) Acta hujus conventus integra Datt operi suo citato adjunxit p. 825 sqq. — cf. Müller, Bt. Th. unt. Max. II cp. I—LXXV.

[2]) cf. Datt l. c. p. 827 Nro. X et XI. — Müller l. c. cp. IV. propositionem regis majorem habet, quam explicant cp. V—XI, minorem cp. XII.

nimis frigide acceperunt et Bertholdo, ut videtur, instigante [3]) sine intermissione conquerebantur de mala, qua imperium laboraret, juris dictione, de regni turbatissimo statu, de difficili militum evocatione. [4])

Cum Ordines in recusando perstarent, rex, priusquam auxilia decernerentur, de pacis publicae disciplina majori contentione per imperium servanda officinaque juris aliquando aperienda, agi passus est. Hoc Bertholdo occasionem fecit, consilia sua rursum proponendi, quae uberius excogitata et amplioribus lineamentis descripta statim in consultationem venerunt. Viri delecti consederunt, qui regni administrandi ac defendendi meliorem designarent rationem, quorum in numero Bertholdi frater Georgius erat [5]), per quem ille facillime proposita sua ad regni internum statum ordinandum spectantia huic concilio subjicere potuit. (Inter quae Bertholdus e Maximiliani manibus Regalia sua accepit confirmata [6])).

Rex, quae viri hi delecti delineaverunt, proposita per duos dies ab octava matutina usque ad eandem vesperae horam secum reputavit, Pacis Publicae, quod factum erat, instrumentum non mutavit, in Camerae instaurandae Constitutione quaedam emendavit. [7]) E quibus alterum e Francofurtensis pacis edicto totum fere descriptum erat,

---

[3]) cf. Mülleri annotatio l. c. cp. XXIII p. 322. . . . Da denn die in Ende der Königl. replic auf den 5. articul befindliche worte: „dasz Konigl. Maj. solches den wenigsten unter der versamblung beymessen“ — zu observiren, inmassen Ihre Maj. sonder Zweifel wegen der harten expressionen den Churfürsten von Meintz pro Autore gehalten, von welcher Materie hiernechst in den Reichstagshandlungen anno 1505 als das in Abgang gekommene Reichsregiment wieder aufgerichtet werden sollen mehrerer Vortrag beschehen soll. — cf. Müller Rt. St. III cp. IV §. 3.

[4]) cf. Datt l. c. passim. — Müller Rt. Th. unt. Max. l. c. cp. XXXV—XXXVII p. 367—373; coll. cpp. XXII—XXVI p. 316–341, passim.

[5]) cf. Datt l. c. p. 830. — Müller l. c. cp. XX p. 313.

[6]) cf. Müller l. c. cp. LVI p. 510 sqq.

[7]) cf. Datt l. c. p. 856.

sed hac gravissima decisione auctum, ut in perpetuum atque aeternum pax publica sanciretur [8]); alterum talem instituit Cameram, qualis jam Friderico III proposita et a Maximiliano Norimbergae a. 1487 quasi comprobata erat.

Decretorum de hac Camera Imperiali factorum haec mihi memoranda sunt maxime praecipua: In hoc judicium tanquam in primum forum venirent Ordines immediati, mediatis vero adversus illud nulla provocatio esset; certo loco et assidue jus diceretur; rex eum nominaret, qui judicio praesideret, Ordines vero adsessores darent; ad quos sustentandos tributum commune universo regno imponeretur; hujus judicii esset, judicare omnes, qui pacem turbarent, et proscriptionem imperialem ferre. [9])

Atqui scriptores et priorum temporum et recentiores Maximilianum celebrantes tanquam Pacis Perpetuae Cameralisque Judicii institutorem tamen una voce dicunt, omnium primum de his duobus institutis mirifice meruisse Bertholdum Moguntinum, praesertim vero Cameram ipsum regi et Ordinibus commendasse, omnes dubitationes illis sustulisse, denique, ut ea institueretur, effecisse. [10])

Sed his duobus constitutionibus archiepiscopus consilia sua politica non prorsus complexus erat; maximi momenti tertium est, quod Wormaciae in deliberationem venit Bertholdi propositum. Alterum quoque adminiculum paci firmandae subjungere cogitavit, quale putavit extraordinarium quoddam senatus concilium, quod eandem atque Camera (Norimbergae) sedem haberet, cuique nomen esset Regi-

---

[8]) cf. Datt l. c. p. 873 sqq.; coll. l. V cp. 1. inde a p. 781. — Müller l. c. cp. XL p. 389 sqq.; coll. cp. XXXVIII p. 373 sqq. — Joannes l. c. VII Nro. 1 et 7.

[9]) cf. Datt l. c. p. 876 sqq.; coll. l. IV cp. I p. 709—724. — Müller l. c. cp. XLI p. 416 sqq.; coll. cp. XLIV p. 454 sqq.

[10]) cf. e. gr. Trithemius l. c. ad a. 1495. — Harpprecht l. c. §. 35 p. 46 et §. 39 p. 47. — Mallinkrot l. c. — Bruschius l. c. — Joannes l. c. VII Nro. 1 et 8. — Ranke l. c. p. 122. — Gfrörer l. c. p. 179. — Pfister l. c. p. 587 et 589. — Hagen l. c. p. 93.

menti Imperialis.[11]) Quae argumenta afferre potuerit Bertholdus ad movendam regis atque Ordinum voluntatem, quaeque officia huic Regimento tribuenda esse ille arbitratus sit, e Dattii verbis intelligitur, quae haec sunt[12]): „Non stabilis erat, non diuturna regni Germanici quies, nisi constituto ex praecipius imperii membris senatu quodam extraordinario, qui latas in Camerali Judicio adversus Turbatotores pacis sententias executioni suae mandaret, qui de Subditorum querelis cognosceret, qui publicam tranquillitatem consiliis et legibus tueretur; qui bellum contra imperii hostes susciperet; qui, cum tam late fusum imperii corpus membra sua tam cito et prompte non moliretur, ne quid ad subita deesset consilii auxiliique, universam potestatem, quae toti Imperio in comitiis competiit, exerceret." Sed hoc Bertholdi propositum rex rejecit indignatus, cum se tali modo omni imperatoria potestate spoliari sibi videretur.[13]) Quapropter archiepiscopus aliam rationem instituit, qua idem fere assequeretur et annuos ac fixo temporum spatio habendos Ordinum conventus rursum[14]) commendavit, quorum esset, omnibus ferme officiis fungi juribusque uti, quae Regimento destinata fuerant: „proscriptionem imperialem hi ferrent et exsequerentur; septem quaestores ad tributum commune recipiendum deputati iis rationem redderent; quibus etiam hujus pecuniae dispen-

---

[11]) cf. Harpprecht l. c. §. 179 p. 150. — Joannes l. c. V Nro. 4. — Müller l. c. cp. XXIX p. 380—389.; ejusd. Rt. St. I cp. I §. 2 p. 2 sqq. — Hagen l. c. p. 92.

[12]) cf. Datt l. c. IV cp. XI p. 597; coll. p. 830 Nro. XXVI.

[13]) Bertholdus post aliquot dies Ordinibus hoc exposuit: „Daruf wäre erst furgenommen ain ordnung im raich aufzurichten und Sr. kö. Mt. furgehalten, darob S. M. etwas Beswärung und Miszfallens gehabt, hetten die Stende davon gestanden." — cf. Datt l. c. p. 871. — Müller Rt. Th. unt. Max l. c. cp. XXXVIII p. 578, Rt. St. l. c. §. 3 p. 10 et 11. — cf. Ranke l. c. p. 111 et 112, Nota 2. — Gfrörer l. c. p. 179.

[14]) cf. supra §. 10. — Gfrörer l. c.

satio in usus necessarios atque imperio utiles est relicta; bellum inire aut pacem facere, Maximiliano et Philippo ejus filio ne liceret, neve Camera sedem moveret, nisi annuo conventu consentiente!" [15])

Neque ad annuorum conventuum institutionem Maximiliani animus fuit inclinatus; tum demum quum Ordines ea tantum condicione, ut hos institui rex permitteret, se opes praestituros esse declararent, ille assensu suo eos comprobavit [16]); quo facto etiam matriculae auxilia offerentes confirmatae sunt ab Ordinibus, ad quas conficiendas Bertholdus cum quatuordecim aliis delectus fuit. [17]) Nec minus ille una cum Alberto Saxoniae duce de hac re cum Civitatum legatis agendi operam sumpsit. [18])

Dumque res aguntur, Ordines tributum commune, quod ad quatuor annos in singula capita imperio vel mediate vel immediate subdita imponendum Bertholdus commendaverat, quodque nomine „Communis Denarii" veniebat, regi concesserunt ad alendum exercitum Cameraeque assessoribus mercedem persolvendam. [19])

Quibus rebus feliciter peractis Comitia haec Wormaciensia dimissa sunt.

Decreta hujus imperii conventus summi fuisse momenti, nemo erit, quin intelligat. Res duae, de quibus per totum

---

[15]) Hi annui conventus, qui 1. d. m. Febr. quotannis haberentur, distinguendi sunt et ab Imperii Regimento et a Comitiis ordinariis. Regimentum Ordinum conventum quasi perpetuum repraesentavit, qui vel rege absente regni regimen exercebat. Annui conventus quoque summam rerum administrabant, sed ad tempus aliquod tantum habebantur. Comitia ordinaria pro rerum necessitate vel pro regis arbitrio vocabantur.

[16]) cf. Müller Rt. Th. unt. Max. l. c. cp. XXXIX p. 380 sqq. — coll. Rankii nota l. c. p. 111 cit.

[17]) cf. Müller l. c. cp. XXVI p. 333 sqq.

[18]) cf. Müller l. c. cp. XXXIII p. 358 §. 2 — coll. cp. XLII p. 429—434.

[19]) cf. Müller l. c. cp. XLII p. 429 sqq. — Datt l. c. p. 863 sqq. et 881 sqq. et l. III cp. V p. 532 sqq. — Hagen l. c. p. 92. — Gfrörer l. c. p. 178 et 179.

fere aevum agebatur, nunc ad finem perductae esse videbantur: lex, quae pacem publicam sanxit in aeternum, juri manuario tanquam in se illicito derogavit; de Camera autem Imperiali, quae Ordinum in manibus omnis fere fuit posita, sperari posse videbatur, fore ut superiores quoque Ordines sententiis ab ea latis obsequium praestare vellent; annui denique imperii conventus et haec instituta tueri et, quae de Communi Denario opeque militari fuerunt decreta, exsequenda curare paraverunt.

Hisce vero in rebus peragendis multum Bertholdum consumpsisse operae, omnibus liquet. Ut diversae erant singulorum causae, ita etiam eorum studia; ergo quot capita, tot fere sententiae: quae alteri unica visa est ad salutem via, eadem alter rempublicam ruere in servitium putavit. Certum est, ab hoc quoque conventu re imperfecta discessisse Ordines, si in solis sessionibus publicis in medium fuisset consultum; quantacunque fuit quorundam virorum auctoritas, tamen, si solo suffragio suo rem aliquam adjuvissent, nihil prorsus profecissent. Bertholdus ejusque amici ingenio suo atque, qua apud imperii proceres pollebant, auctoritate in colloquiis extra sessiones publicas institutis procul dubio usi sunt, ut praesentium sollicitarent animum ad comprobanda sua de regni reformando statu, quae ceperant, consilia.[20])

---

[20]) Id quod conjicio e literis, quas Lupis de Hermansgrün legatus Magdeburgensis in his Comitiis commoratus scripsit ad Reuchlinium; in hunc modum ille verba facit: . . . „Et quidem multo tempore frustra laboratum est non sine maximo metu, ne re infecta discederemus, quod atrocissimum venenum nostrae R. P. fuisset: verum divino auxilio et quorundam illustrissimorum clarissimorum virorum frequentissimo labore, cura diligentiaque tandem in viam reversum est, ut jam summa concordia ordinum, omnes Remp. salvam cupiant ac velint . . . . De rege Galliae nulla nobis amplius cura est, proinde nihil de hac re scribam. Dux Eberhardus tuus, immo meus, forte aliquid Gallicae eloquentiae ad te mittet. 'Nos ex illis altitudinem animi in Gallo et sapientiam in filio Gallinae miramur. Vale!" (V. hanc epistolam ap. Müller l. c. cp. XLIII p. 550).

Atqui Bertholdi studia ac proposita rei publicae in posterum temperandae et stabiliendae, ut regis ei valde averterent animum, necesse fuit, quippe qui suprema imperatoriae potestatis privilegia, summum judicium summamque rerum administrationem ex imperatoris manu in Ordinum manus transtulisset. Sane quidem ab hoc usque conventu discordiarum semen sparsum est inter Maximilianum regem et Electorem Moguntinum, quod, etsi jam non proveniebat tamen, cum alter alterius semper occulte consiliis occurreret, paulatim pubescebat et malos denique fructus fecit. Sed tamen amicitiam familiaritatemque, qua antea usi fuerant, specie etiam ad tempus quoddam prae se ferebant.

Comitiis Wormaciensibus habitis et Maximilianus et Bertholdus Esslingam profecti sunt, ut foedus prorogarent Suevicum. Sociorum unus et alter illud relinquere voluit. Archiepiscopus regis nomine acriter et severe monuit socios, ne foedus, a quo omnis Pacis Publicae Cameralisque Judicii tutela penderet, solverent. Bertholdi verbis moti consociati foedus in triennium instaurarunt, quorum in numero primus subscripsit Princeps Elector Moguntinus. [21])

Esslingae moratus Bertholdus nihil, quod ad consilia sua persequenda aliquid conferre posset, a se praetermitti debere arbitratus Francofurtensi senatui per literas adventum suum annuntiavit omnium primus [22]); sed comitia illuc edicta non sunt facta, sed paulo post Lindaviam dilata.

---

[21]) cf. Datt l. c. II cp. XIII p. 324. — Pfister l. c. p. 587.

[22]) In Actis Francofurtensibus Bertholdi epistolam inveni, cujus verba haec sunt: Bertholt von gots gnaden Ertzbischoff zu Menntz etc. ünd Churfurst. Unnsern grusz zuvor. Ersamen lieben Besundern. Wir haben dem ersamen unserm Zolschryber in Hoest (est oppidum nünc Hoechst usu nuncupatum) lieben Andechtigen und getrewen Heinrichen Eichenberg bevelhe gethan uns und den unsern, so wir mit uns zu dem künftigen Rychstag So vff Purificacione Marie nestkmpt gein Frankfurt angesatzt ist bringen werden Herberg by ych zu Frankfurt Jnnsehen als Ire ab Ime vernemen werdent. Begern darumb gutlich Ire wollet Ime furdarlich vnd beholffen sin

§. 14.

Decreta Wormaciensia, ut aliter fieri non potuit, haud paucis imperii subditis non probabantur. Maximilianus rex invitus tantum illa, utpote sibi soli damnosa, exsequebatur: si quid eum ad hoc impellere potuisset, Ordinum fuisset, quem videret, animus ad praestanda sibi auxilia paratus. Sed his quoque, quorum in commodum statuta illa pro majore parte facta erant, parum de iis curae erat, in quantum onera sibi imponerent. Sub ejd. 1495. a. finem Civitates Spiram convenerunt, ubi, se Communem Denarium collecturas non esse, statuerunt, usquedum, quae in pacis publicae praesidium ordinata essent, perficerentur. [1]) Nobilitas inferior, quae prioribus annis ad Comitia nunquam fere vocata fuerat, hoc tributum tolerare minime voluit. Franconiae equites (m. Decbr. a. d.) Schweinfurtum se congregaverunt et „se liberos Francones esse, et ecclesiae hostes non pecunia, sed corporibus suis defendere se velle et debere, declaraverunt; inusitatum vero hoc et inauditum onus vel vi armorum, si opus esset, rejectum iri.“ [2]) Ab aliis denique imperio subjectis, ut ab Helvetia, Lotharingia, Polonia, fore ut obsequium praestarent, minus jam sperari potuit.

Quae quum ita essent, valde erat timendum, ne rex converso animo Wormaciensia edicta prorsus rescinderet; hoc periculum praevertere, jam Bertholdi erat.

---

damit den vnnsern so wire voreobgemelt mit uns bringen werden aller nehst vmb den thongis Hoff fuglich vnd gelegen herberg gedyhen. Doran erzeigt Ire Vns besundern gefallen mit gnaden zu erkennen. Geben zu Eszlingen Montags nach dem achtzehendsten (Jan.) Anno 1496. vd. t. XV fo. 27. — cf. Ranke l. c. p. 121 Not. 1.

[1]) cf. Datt l. c. III cp. VI p. 544 et 549.

[2]) cf. Datt l. c. p. 541 sqq.; coll. V cp. VI p. 797 sqq. — Trithemius l. c. p. 568. — Gfrörer l. c. p. 180. — Müller l. c. cp. LIV p. 499 sqq. et cp. LXXVII p. 688 sqq.; coll. cp. LXXIX p. 690 sqq. —

Mense Augusto a. 1496 Lindaviae [3]) Imperii Ordines inierunt Comitia; Bertholdus statim ad ea cucurrit. Jam enim id agebatur, ut summam suam, ad quam in imperio pervenerat, amplitudinem in lancem imponeret ad removenda ea, quae Wormaciensibus decretis obstruebantur, impedimenta. Quae res ei feliciter successit: Maximilianus enim rex, cum auxilia Wormaciae sibi promissa e regno non advenissent, cum suis solis militibus in Italiam profectus est; Philippus filius et ipse a Comitiis abiit; Rheni Palatinus, quamquam imperii regimen tamquam jus absente rege sibi competens ad se vindicaverat [4]), tamen Comitia non obiit. Itaque Bertholdus mox hujus conventus summus exstitit et solus moderator. Acta horum Comitiorum altum ad dominii gradum Electorem Moguntinum in iis ascendisse probant: deliberationes eo absente semper intermittebantur; semper et ubique ille verba faciebat; summam rerum proponebat; praesentes, ut consentirent consiliis suis placitisque obsequium praestarent, movere sine intermissione studebat. [5])

Dum res aguntur, ad statuta Wormaciensia tanquam ad consultationis fundamenta Bertholdus respexit. [6]) Actiones circa Communem Denarium praecipue vertebantur;

---

[3]) cf. Actiones horum Comitiorum integrae in Fels: Beiträge zur Deutschen Reichstagsgeschichte t. I p. 1—192. — Act. Frcft. t. XVI.

[4]) cf. Bertholdi declaratio ap. Fels l. c. p. 56. . . . „Vff der Königl. Mayt. Ires allergnädigsten Herren Geschäft wärn sie allhie, hinder des Gnaden In nit gepürt ichtz anders denn siner kunigc. Gnad Bevelh nach zehandeln.“ cf. p. 36 et 113 sqq.

[5]) cf. Ranke l. c. p. 123. Hic, respiciens ad convolutum in archivo Berolinensi depositum, Brandenburgicos legatos e. gr., tradit, jussos fuisse, omnibus in rebus archiepiscopi Moguntini sententiam sequi.

[6]) cf. Ranke l. c. p. 126, qui ibidem invenit, Ordines antea statuisse: „die Handhabung zu Worms versigelt vorzunehmen und aus derselben ain Grund der Einung und Verstendnisz zu nehmen und was des zu wenig sein will zu erweitern.“ — Ad quae idem auctor annotat, hoc decretum esse factum ab Ordinibus, ne conspirationis suspicionem regi facerent.

haec enim subsidia cum deficerent, nec misso in Italiam regis militi stipendia pendi neque Camerae assessoribus merces persolvi poterat. De duabus hisce rebus Ordines, quotquot adfuerunt, saepius moniti sunt: Questus est rex [7]), questi sunt qui Bertholdo advenerunt a Camera Imperiali ablegati. Hi quum postularent, ut quod residuum esset mercedis sibi daretur et annuum stipendium augeretur, Bertholdus tributi communis spem iis fecit, utque ad sessiones relictas reverterentur Camerales judices movit. Rex fidem suam ad persolvendam per quatuor annos Camerae mercedem obligavit. [8]) Nova etiam sequentibus diebus Camerae Constitutio facta est. [9]) Archiepiscopus Moguntinus eo praecipue tetendit, ut sententiae a Camera latae statim perficerentur, ut Civitatibus justitia magis fieret adversus principes, neve quis assessorem suum avocaret. [10]) Simulque hisce de rebus ad regem litteras mittere, statuerunt Ordines, quibus etiam, cum eo absente res agendae nihil fere proficerent, precarentur, ut Comitiis rex ipse praeesse vellet. [11]) Maximilianus rex, se Comitiis coram adfuturum non esse, respondit et causam, qua ductus hoc facere negaret, neutiquam celavit: Ordines enim, rescripsit, justum et debitum honorem sibi habere in multis Comitiis omisisse. Ceteris in rebus omnem culpam, qua tam graves res neglectae essent, in ipsos Ordines transtulit, qui Communem Denarium tam male collegissent. [12]) Denique Bertholdum et

---

7) cf. Fels l. c. p. 41—50 et passim.

8) cf. Actiones omnes de Camera habitae: Fels l. c. p. 25—38; 66—83; 104; 108; 146-149; 161; 168; 175—191. — Harpprecht l. c. p. 102—118 passim, et Urk. LXXXVIII—CIII p. 243—274. Müller l. c. cp. X p. 38—53.

9) V. Müller l. c.

10) cf. Ranke p. 125.

11) cf. Fels l. c. p. 120—123.

12) cf. Fels l. c. p. 123 . . . „vnd wiwol villicht gesagt, dasz der Tag darumb, dasz wir nit in aigner Person erschinen nit volzogen werd, solchs die Vrsach nit ist, wann nit not noch wir pflichtig sein, in

Francogalliae legatos Lindaviae manere rex jussit, donec legatos suos mitteret. [13])

Maximiliano et ipsi persuasum fuisse videtur, archiepiscopum hunc tota Comitia suis humeris sustinere. [14]) Sane quidem Bertholdus, qui primis Comitiorum diebus Ordines eo reprehendit, quod, quae agebantur, enunciassent [15]), illi ut utilitatem publicam privato commodo praeferrent, contendit ac laboravit omni animi contentione. Qua in re Electorum collegium semper fere ejus sententiae adhaesit; parum etiam difficultatis Civitates obtulerunt; soli principes et qui principum cum mandatis venerant interdum minus obtemperaverunt. Sed omnes dubitationes archiepiscopus denique prudenter removit. Equitibus autem declaravit: Imperium esse, quod Communem Denarium posceret, cui equites et ipsi subditi essent; insuper hanc pecuniam in ipsorum praecipue fructum redundaturam esse, dummodo gladium stringere, equum conscendere, exercitui se aggregare vellent. [16])

Constitutio de Communi Denario ante facta in his Comitiis instaurata et confirmata est, consultatio vero, in quos usus esset dispensanda haec pecunia, cuique competeret ejus dispensatio, ad futura Comitia rejecta est. [17])

Denique priusquam Ordines Lindavia profecti sunt, de-

---

aigner Person auf solichen Tag zu kommen, in massen dann die andern Stend des Reichs usz schuldiger pflicht tun sollen. — Wir haben och solchs als mencglich waist, oft mundlich erklärt in Ansehung der clainen Eren so uns vff denselben Tagen beschehn, nachdem wir, so des Reichs Sachen gehandelt werden, vor der Thür stän müssen, das doch nie erhört ist, dasz ain Burgermaister in ainem Commun vor der Thür stän sol" . . .

[13]) cf. Fels l. c.

[14]) cf. Fels l. c. et 126.

[15]) cf. Fels l. c. p. 90.

[16]) cf. Ranke p. 126. — Gfrörer l. c. p. 180.

[17]) cf. Müller l. c. cp. VI p. 28 sqq. — Fels l. c. p. 109—114; 147 et 148.

cretum fecerunt, quod, quanta fuerit Bertholdi auctoritas, denuo probat: „Si quis, Ordines statuerunt, adversus ea, quae de Denario exigendo vel de pace servanda vel de jure et justitia per regnum restituendis Wormaciae et Lindaviae in Comitiis placuissent, aliquid esset ausurus, cuicunque tale quid accidisset, is Moguntino Electori rem nuntiaret neve pro se responderet, sed ad futura Comitia rem rejiceret; sin res dilationem non pateretur, archiepiscopus ille ceteros Ordines convocaret, qui, quid sibi visum esset, una voce responderent.“ [18]) *)

§. 15.

Lindavia profectus Bertholdus, se tandem aliquando ita in sententiam suam Ordines, speravit, adduxisse, ut decreta Wormaciensia acriter persequi studerent; sed, nondum ad finem sibi propositum se pervenisse, brevi post intelligere debuit. Ordinum in curandis publicis rebus frigus et negligentia jam major fuit, quam Bertholdus ex omnibus, quae antecesserant, timendum esse putavit.

Communis Denarius parum colligebatur [1]); et proxima

---

[18]) cf. Recessus horum Comitiorum ap. Datt l. c. cp. VIII p. 893. — Müller l. c. cp. XI p. 53.

*) Müller l. c. cp. IX. p. 35—37. Bertholdum, tradit, in hoc conventu actiones etiam habuisse cum Helvetiorum legatis et molestas quidem: in hos enim, cum neque Denarium colligerent neque Camerae autoritatem respicerent neque foederi Suevico se sociarent, archiepiscopum vehementer invectum esse et postulationes suas minis adjuvisse; sed Helvetios nequaquam perterritos ejus minas aspernatos esse. — Hujus rei neque Fels l. c. neque Acta Francofurtensia mentionem faciunt. Eo magis adducor, ut credam, Müllerum errasse, cum in sequentibus Comitiis Helvetii cum Bertholdo talibus de rebus disceptarent. cf. §. sq.

[1]) V. Act. Frcfts. t. XVII fo. 11 . . . dann das anlehen mitsambt dem gemeinen pfennig were etlichen vnd villycht dem mererteil der Stende des Rychs zu schwere geworden . . . cf. ibid fo 65 ubi subditorum

Imperii Comitia (m. Apri. a. 1497) Wormaciae [2]) habenda tam pauci adierunt, ut Bertholdus quotquot aderant convocaret eosque, quid faciendum censerent, consuleret, utrum de rebus agi, an Comitia differri mallent? [3]) Sed quum interea regis legati advenissent, deliberationes susceptae sunt. [4])

Ac primum quidem praesentes Ordines, quos Camera ad Bertholdum allegaverat, arcessiverunt. Hi, ut merces nondum soluta sibi daretur eademque in posterum augeretur neve Camera Wormaciam transferretur (id quod Ordines parabant), precati sunt. Quibus vero nihil aliud concessum est, quam ut mercedis residuae pars iis penderetur. [5])

Tum Bertholdus regis litteras in conventu recitavit, quibus ille absentiam suam excusavit et, consiliariis suis de pecuniis mutuis sumendis deque Communi Denario agendi licentiam se dedisse, Ordinibus annunciavit. [6])

Deinde cum regis legati se recepissent, archiepiscopus cum praesentibus Ordinibus communicavit, legatos Helvetiorum ad se venisse, qui de sententia a Camera adversus se lata quererentur; id quod Bertholdo occasionem praebuit Ordinibus imperii salutem quam maxime commendandi. [7]) Electoris exhortatione commoti, quot Comitiis

---

querela affertur: sie besorgten das ihnen solichs zu einer ewickeit erwachsen möcht, weren nit geneigt sich dem rych zinsbar zu machen, wann sie von iren herren sust also hoch beschwert weren, das sie es kam ertragen möchten.

[2]) cf. Müller l. c. IV cp. I. p. 142 sqq.

[3]) V. Act. Frcft. fo. 2.

[4]) Act. Frcft. l. c. fo. 3 et 4.

[5]) Act. Frcft. l. c. fo. 5—10. — cf. Harpprecht l. c. §. 134—138 p. 113—123. Urk. Nro. CIV—CVII p. 274—289. — Müller l. c. cp. VII p. 150 sqq.

[6]) Act. Frcft. l. c. fo. 10—12. cf. fo. 28.

[7]) Act. Frcft. l. c. fo. 13. . . . . Und nachdem dieselben der ko Mjt Rethe wider abgetretten waren Redt myn gdgstr. Hr. von Menntz . . . Ine ducht warlich not vnd gut sin dass man sich flyssiger vnd mit merem ernst in die sachen schickte, dann als Ine die leufde anse-

adfuerunt, Ordines denique regi 4000 fl., quos de pecunia numerata, et 150000 fl., quos de Communi Denario sumeret, in sui ipsius et Philippi filii terris exigendo concesserunt; Ordinum nonnulli illius pecuniae partem debitam statim solverunt. [8]) — Quibus rebus peractis Comitia dimissa et in mensem Octobrem Friburgum dilata sunt.

---

hen wo man nit anders darzu thun wolte were zu besorgen das grosse ufrur vnnd widerwertigkeit Im Rych ufsten darus allen Tuitschen Landen vnd anndern gegenden nit klein beschwerung vnd unrat zufallen wurde. Sagt auch daby dass die Eidtgenossen der Schweytzer ein werbend Botschafft an Ine er versehe sich auch zu anndrenn abgefertigt die hetten Im Iren bevelh ereffnet vnd sich fast beclagt ab den ergangen vrteiln vom ko Camergericht uszgangen wider die Statt zu Sant Gallen Vnnd Appentzell von der Pharenbüler vnnd des Swennden wegen . . . Solt es nu die meynung erlangen das der gewalt dem rechte widerstreben Vnd die kleiners vermögens gehorsam sin mussten das were unglych vnnd möcht nit besteen. Es möchte auch sein die ko Mjt het villycht den Eidtgenossen Zusage gethan mer dann gut were vnnd lieffe ye ein unrat usz dem anndern Vnd were schwere vnd sorglich genug wo man sich nit anders in die sachen schicken wolt were zu besorgen dasz eîner ufsteen der die Stennde Tutscher lande vnd des Rychs gar unfruntlich registriren vnd (—) von Ires vnflys wegen schwerlich gestraft würden. das möcht ein yder bey Imeselbs bedenncken wie man den dingen dete vnnd wie sachen anzugryffen Vnnd furzunemen syen damit das Ihenne so vormals hie vff dem tage auch zu Lindaw angezettelt zu rettung vnnd vffenthalt der gemeinen Christenheit Vnd merung des heiligen Rychs vnd Tutscher Lannde vnd der Stennde desselben betrechtlich furgenommen Vnnd zum teil beslossen vnnd zugesagt were nit zuruckgeworffen mühe vnd arbeit vergeblich gethan sonnder zu fruchtparem ende bracht möcht werden das were not wolt man anders das heilige Rych bey eren vnd wirden vnnd die stennde desselben sich selbs by state vnnd wesen behalten. — Paucos post dies similem orationem Bertholdus habuit. cf. l. c. fo. 15 et Müller l. c. cp. VII p. 144.

[8]) cf. Act. Frcft. l. c. fo. 77. — Müller l. c. cp. II et IV p. 142 sqq. et 148 sqq. — Datt l. c. cp. X §. 3 p. 593. —

§. 16.

Bertholdi, qui haec Comitia coram obiit, consilia hic in summum discrimen vocabantur; non multum aberat, quin totum, quod Wormaciae exstruxerat, aedificium Friburgi [1]) deturbaretur. Sed hoc tempore elucebat, quanta prudentia, quantis animi viribus ad superanda vel maxima impedimenta archiepiscopus ille praeditus esset.

Rex, ut aliter fieri non potuit, valde erat iratus, qui, etsi Ordinibus summa quaeque concesserat, tamen opem ab eis nullam accepit, quare saepius, ut ad conventum se conferret, invitatus Ordinum nequaquam indulsit precibus. Itaque hi paulatim infestum animum induunt: jamjam discessum parant, Bertholdus eos vix retinet [2]), cum rex tandem advenit, sed animo advenit gravissime afflicto, Ordinum increpat in rebus publicis curandis segnitiam, qua factum esset, ut omnia sua in pejorem partem versa essent ac mutata: „se huc venisse, inquit, ut hoc unum interrogaret, utrum Ordines sibi auxilio esse vellent necne? ut ipse solus statutis impediretur atque alligaretur, se non venisse!“ Multaque alia rex adjecit altius quam clarius de summis juribus gravibusque officiis, quae sibi essent servanda. [3]) Quae regis verba Ordines aegre tulerunt, et jam in eo erat, ut discidium fieret hos inter et illum. Sed Moguntinus Elector, quamquam ipse offensus, tamen consiliis suis sequendis nunquam prudenter non insistens regem monuit, ut viam a legibus praescriptam iniret et mandata sua ac vota clare et distincte proferret. [4])

---

[1]) Actiones horum Comitiorum pro majore parte habet Harpprecht l. c. Nr. CXI p. 305—391. — cf. Müller l. c. IV cf. IX—LVI p. 155—687.

[2]) cf. Harpprecht l. c. passim et §. 149 p. 124.

[3]) cf. Ranke l. c. p. 131 qui respiciens ad Acta Brandenburgica haec verba allegat: „Der König habe geredet mit viel wunderlichen worten und Geberden, ganz dunkel und unverstendlich.“

[4]) cf. Ranke ibid., qui annotat, Bertholdum regi respondisse: „Ew. Maj. belieben in Parabeln mit uns zu sprechen, wie Christus mit den Jüngern!“

Quo facto Bertholdus funestum periculum depulit. Rex enim archiepiscopi verbis commotus animum remisit iratum et sueto more exinde agi coeptum est: de Communi Denario colligendo, de auxiliis contra Francogalliam cogendis, de pace ac jure per imperium firmandis.

Jam primis, quibus Ordines consederant, diebus Bertholdus, regem monendum esse, censuit ut Denarium in regionibus et ipsi et Philippo archiduci subjectis exigeret [5]; tum vero ad placandum regis animum advolavit Ordines impellens, ut pecuniae regi promissae tandem aliquando persolvendae se serio obligarent, quo consilio ab Ordinibus petiit et accepit rationem pecuniae collectae, quam ipse primus reddidit. [6] Deinde cum de externis imperii negociis ageretur, jam in majorem gratiam regis venit Elector Moguntinus. Dissenserunt inter se rex et principes his pacis condiciones, quales a Francogalliae rege offerebantur, accipere cupientibus, illo vero renuente; Bertholdus una cum Coloniensi Electore in regis partes transiit, quorum sententiam primum ceteri Electores, tum omnes principes secuti sunt. [7] Tertio

---

[5]) V. Act. Frcft. t. XVIII fo. 2: Mer sagt der Bischoff von Mainz. Sy vff der Churfursten banncк bedeucht auch gut vnnd not sein, das die Versamlung der Stende des Reichs gemeinlich an die ko. Mt. frag gelangen lassen, wie es stendt mit dem gemein pfenning in seiner Gnaden auch Ertzherzog Philips son ir Erb- vnd niderlannden ob solcher pfenning erhoben oder Sy denselben inzubringen vnd zu erlegen willens weren, doch möcht man sich daruff bedenncken bis nechst, so man Antwort geben wurde.

[6]) V. ibid. fo. 3. . . . Also haben sich die Stennd geglicher in seiner Ordnung vnderredt vnd dise Antwort geben ungeuerlich. Vnnser gnediger Herr von Meintz er hab den gemein pfennig Inbracht in seiner gnaden Lannden vszgescheiden der Lanndtschafft vff dem Ewsfeldt das hett noch etwas Irrung. Er wollt aber vleisz (—) vnd daselbst auch vndersteen Inzubringen vnd zu erlegen so furderlichst gesein möcht . . . cf. Müller l. c. cp. XLV p. 529. — Ranke l. c. p. 131 et 132.

[7]) cf. Ranke l. c. p. 135.

autem capite archiepiscopus Moguntinus usus est, ut Ordinum sibi conciliaret animos. Actiones de pace publica Cameraque Judiciaria denuo movebantur. Cameram rex, cum ex tributo non tantum pecuniae, quanto illius sumptibus subsistere posset, reciperet, in suam aulam trahere conabatur, quare Bertholdus Ordinum nomine, quibus nihil quam hic regis conatus minus placuit, qui vero, quid de his rebus sentirent, regi palam facere noluerunt, ea tantum condicione hoc fieri posse, respondit, si rex sedem suam firmam in aliqua imperii urbe collocaret. [8]) Praeterea ad emendandam hujus judicii formulam statutum est, ut in gravibus et spinosis quibusdum negociis vicinos principes advocare assessoribus liceret, atque ut abolitis sportulis, quas vocant, mercedem suam judex et assessores de Communi Denario reciperent. [9]) In pacis publicae tutelam, quae facta fuerat, nonnullis clausulis aucta est Constitutio iterumque confirmata enunciata est in imperium. [10]) Nec minus ad tuendam pacem in his Friburgicis Comitiis ad Suevici foederis socios scripsit, ne, id quod quaedam Civitates molirentur, ullus, in Suevicum foedus qui adscitus esset, illud relinquere auderet; qui faceret, proscriptione Imperiali multatum iri. [11]) Bertholdus, ut majorem vim adderet regis edicto, societatem, quam cum Friderico Brandenburgico marchione et Udalrico Würtembergiae duce inierat, paulo post redintegravit. [12])

Denique, antequam Ordines discesserunt, decretum jam Wormaciae a. 1495. factum Friburgi renovatum est: ut, quod in proximis Imperii Comitiis praesentes consti-

---

[8]) cf. Harpprecht l. c. §. 158 p. 128.

[9]) cf. Müller l. c. cp. XXX p. 443 sqq. — Harpprecht l. c. §. 157 et 158 p. 127 et 128, Urk. CXI p. 378 et 381. — Ranke l. c. p. 134 Not. 1.

[10]) cf. Müller l. c. cp. XXI p. 233 sqq.

[11]) cf. Müller l. c. cp. XXII p. 238—342.

[12]) cf. Müller l. c. cp. XXIII p. 245 sqq.

tuissent, absentes quoque tenerent; litterae vero, quae hoc decretum probarent, Electori Moguntino mitterentur. [13])

Sic Bertholdus haec Comitia, de quibus initio nihil boni, contra facile aliquid summi mali sperari posse visum erat, clara reddidit et memoratu valde digna. „Multa enim, ut abbas ait Hirsaugiensis, pro communi rei publicae commodo et utilitate fuerunt proposita, plura tractata nec pauca in diversis negociis conclusa de bello videlicet in Turcos movendo, de continuando Judicio Camerali ante triennium apud Wormaciam satis provide instituto et erecto, de pace firma ubique servanda in regno et de coercendis rebellibus puniendisque latronibus et violantibus pacem et alia multa satis utiliter proposita, quae utinam fuissent et practicata!" [14])

Sane quidem regis cum Ordinibus consensus, quorum sententiae maxime fuerunt inter se diversae, Bertholdi merito est tribuendus. Ille prudentia sua effecit, ut rex, quamquam invitus, Ordinum consiliis, quae de regni internis rebus ceperant, faveret, hi autem illius propositum adprobarent regni gloriae et majestatis adversus hostes externos restituendae. [15])

§. 17.

In summum denique potentiae gloriaeque fastigium elatus est in Comitiis, quae Maximilianus rex Italico bello infeliciter peracto instituit Augustae Vindelicorum (Apr. 1500). Rex, qui, Francogallorum nisi cohiberetur in Italia superiore imperium, regno Germaniae summum instare damnum ac periculum, bene intellexit, [1]) in litteris,

---

[13]) cf. Müller l. c. p. 682 in recessu.

[14]) Trithemius l. c. ad h. a. 1498.

[15]) cf. Ranke l. c. p. 131—134.

[1]) cf. Hagen l. c. p. 100 et 101 . . . „Durch sein Uebergewicht in Italien wurde Frankreich noch mehr gestärkt und die Gefahr für Deutschland noch grösser. Eine gesunde Staatskunst gebot daher

quibus Ordines convocavit, et postea in ipso conventu illorum animos ad hoc advertit eorumque hanc ob rem auxilium flagitavit. [2]) Sed Ordines, qui suis rationibus vel cum maximo rei publicae detrimento consulere religioni non duxerunt, regis angustiis uti cogitaverunt ad suas res augendas atque amplificandas, quapropter iterum de regni internis rebus prius quam de externis agi voluerunt. [3]) Bertholdus et ipse praesentes monuit, ut, quae agerentur, in secreto tenerent et omnino imperii dignitatis et honoris essent memores. [4]) Cum vero, Ordines moveri non posse, intelligeret, ut de externis imperii negociis serio curarent, regem autem videret in summam rerum inopiam redactum, hanc occasionem arripuit ad summa, quae de interno imperii statu mutando sentiebat, persequenda; ideoque suas

der deutschen Nation, dieser Macht entschieden entgegen zu treten und ihre Fortschritte in Italien zu hemmen. Dies war nicht nur ein Gebot der Nationalehre, sondern auch der Selbsterhaltung. Maximilian erkannte mit richtigem Blick die Lage der Dinge; er sah in Frankreich den gefährlichsten Feind und glaubte Alles aufbieten zu müssen zu seiner Bekämpfung" ....

[2]) V. Act. Frcft. t. XIX fo. 1–33.

[3]) V. Act. Frcft. l. c. fo. 33–37.

[4]) V. Act. Frcft. l. c. fo. 37 . . . Ferrer hat sein fl. gn. furgehalten. So an diesen Sachen wie obsteet grosz gelegen darumb die Hanndlungen der Reichstage nach herprachtem Geprauch In gehaim gehalten werden söllen. Wöllen auch des ainen yeden bey den Pflichten. damit er seinem Hern verwanndt ist Ermanet und erhinnert haben das niemandt. on wissen und zugeben der versammblung von diesen sachen. hindersich schreyben noch hie auszerhalben der versamblung mit den Ihnen zu der versamblung nit gehörigen. dauon reden soll. Unnd also daruff das obgemellt ko. Mst. furhalten widerumb verlesen. Darnach sein furstlich gnad Ernstlich vnd Hertziglich. die Stende des Reichs. wie das kayserthumb an die Teutschen Nacion komen. vnd bis auff diesen tag her fur vnd fur abgenomen. ermant hat vnd wa das allso durch Frembde gezung der Teutschen Nacion abgetrungen was schannd spot vnd schaden darausz komen wurd. Deszhalb die notturft erfordere zeytlich darzu zu tun. mit mer worten.

cum Ordinum rebus conjunxit, qui deinde regi aperuerunt, quaedam, quae Wormaciae pro regni salute fuissent instituta, ad usum transferri non posse, se intellexisse. Ideo tributo illo, quod Communis Denarii nomine veniebat, rejecto matriculam partim milites partim pecuniam offerentem, qualis jam Friderico imperatori proposita erat, rursum Ordines commendaverunt; annuorum vero conventuum loco illum, quem Bertholdus Wormaciae a. 1495 suaserat instituendum, imperii quasi continuum conventum, Regimentum Imperii, denuo quot adfuerunt Ordines regi proposuerunt. [5])

Communis scilicet Denarii exactio nimis difficilis videbatur et dubia; ad annuos conventus quot vocabantur Ordines raro et nimis lente venerant; sed ab ipsis his institutis causa non est repetenda, cur feliciter non successerint, sed ab Ordinum negligentia et mala fide. Etiam hunc parvum pecuniae et temporis sumptum, quem sacrarent rei publicae communi saluti, aegre isti tulerunt. Nova vero, quae proposuerunt, instituta multum valebant ad augendam eorum potentiam. Matricula enim dicta territoriali dominio nitebatur, cui tributum illud Communis Denarii multum detraxerat; Regimentum autem Imperiale si tali modo constitutum esset, omnis fere potestas penes principes et praesertim penes Electores fuisset. [6]) Rex diu

---

[5]) Act. Frcf. l. c. fo 39 et 40 . . . . Dieweil der gemein pfennig So zu Worms auff dem tag furgenommen ydermann so widerwärtig ist. will nott sein. Das man gee widerumb vff die Ordnung die zu Frankfurt. bey zeytten kayser fryderichs loblichen gedechtnusz In beywesen des romischen kunigs da erwellt furgenommen vnd ains tails beslossen ist Domit dieselben weg vnd Ordnung In ewig zeytt widerumb furgenommen und erstreckt dardurch ko. Mst. vnd alle Stennde nit bedurffen on vnderlasz auff die Reichstage also gemuet werden. Sonnder allzeit ain ausschusz des Reichs zu uerordnen der sollich Handhabung mit rat vnd der tatt vnderhalt. Domit die nicht zertrennt werd oder in In abfall komen wie dann biszher beschehen ist.

[6]) Hanc sententiam in imperio communem fuisse, docet Z. Contarini

dubitavit, utrum Regimento instituendo annueret, necne, sed denique cessit Bertholdo etiam atque etiam instanti.[7])

Dum res aguntur, viri delecti, qui eorum, quae ad instituta militaria regnique administrationem pertinerent, meliorem rationem describerent, et Pacis Publicae et Camerae Imperialis et Regimenti delineaverunt amplificatas Constitutiones, quo consilio etiam in sex provincias regnum diviserunt.[8])

Ad ea, quae supra de Imperii Regimento disserui, haec mihi addenda sunt decreta in Augustanis Comitiis facta: ut eandem illud, quam Camera, Norimbergensem sedem haberet, quo per sex annos maneret; ut Electorum unus apud Regimentum semper commoraretur; ut Fridericus Saxoniae Elector in illo regis vice fungeretur; ut Electorum e numero Moguntinus Regimento primus adsideret, cui cancellaria quoque commissa est. Denique Regimenti Constitutioni hoc quoque statutum adnexum est, ut, qui mercenarium non sisterent, tributum quoddam penderent. Hoc tributo aerarium militare constituere voluisse Ordines videntur.[9])

Sic Bertholdus, ut antea summam imperii jurisdictionem, nunc ejus summam administrationem principibus tradiderat; praesertim autem Electorum collegium, quod arctissime conspiravit magnamque potentiam obtinuit, in hoc senatu praevaluit, cujus collegii caput fuit Bertholdus itaque re vera regni dominus.

Quae omnia rex non ignoravit, neque quis esset horum auctor et moderator eum latuit. Hoc patefactum est Ber-

---

Relazione cit. ap. Ranke l. c. p. 145: „Fo terminato et fo opinion del re rinontiar il suo poter in 16, nominati il senato imperial, quali fossero, quelli avesse (i quali avessero) a chiamar le dicti e tuor le imprese."

[7]) cf. Müller Rt. St. l. I. cp. I. p. 11. — Harpprecht l. c. §. 197 p. 149. — Joannes l. c. IX Nro. 4.

[8]) cf. Harpprecht l. c. §. 194 p. 147 sq.

[9]) cf. Regimenti Constitutio ap. Müller l. c. cp. V p. 283 sqq.

tholdo defuncto in Comitiis a. 1505 Coloniae factis. Rex in illis Comitiis haec indicavit Ordinibus: „Jam pridem se dubitasse de Bertholdi fide et sinceritate; sed in Augustanis Comitiis sibi relatum esse, se a Moguntino semper et ubique argui, accusari, caluminari; quin etiam illum capita quaedam sibi multum detrahentia conscripsisse, quibus se ipsum alia opposuisse, quae vero in lucem tunc edere se noluisse . . . .“ [10])

Profecto haud quisquam sit, quin regem talia de Bertholdo suspicatum a vero non longe abſuisse intelligat. Inde a Wormaciensibus Comitiis a. 1495, ut supra memoravi, illa, qua rex et Bertholdus priore tempore usi erant, amicitia labefactata est. Sed rex etiam Augustae Vindelicorum iram in pectore cohibuit, quo violentior atque implacabilior paulo post erumperet.

Denique silentio praeterire non debeo, Bertholdum hoc 1500. anno societatem cum Suevici foederis sociis redintegrasse, [11]) subditosque postea rursum, ut pro illius successu pie orarent, eum excitasse. [12])

§. 18.

Jam vero videamus, quales progressus habuerit nuper constitutum Imperii Regimentum! Et Maximilianus et Bertholdus optima quaeque de eo exspectaverunt. Ille quidem, cum sua fere sola jura hoc senatu instituto circumcidisset, firmissimam ea de re in Ordinum gratis animis spem collocaverat, qui copias opesque tandem aliquando libenter sibi praebituri essent. Nec minora fuerunt, quae Bertholdus de Regimento speravit: fore ut regnum in posterum melius administraretur, jus aequius diceretur, omne rei publicae detrimentum quoquo modo praecaveretur. Atqui ex neutrius

---

[10]) cf. Ranke l. c. I p. 34 — Act. Frcft. XXI p. 15.

[11]) cf. Datt. l. c. II cp. XVIII p. 350. — Harpprecht. l. c. §. 204 et 205 p. 153 et 154: coll. §. 210 p. 156 et 157.

[12]) cf. Gudenus l. c. cp. CCLV p. 537.

sententia hoc Bertholdi opus successit. Quibusdam difficultatibus et impedimentis jam natura sua obstructum est: primum multi, qui in eorum, e quibus assessores deligerentur, numero positi non fuerunt, horum auctoritatem detrectaverunt, ne libertas sibi eriperetur metuentes nihilque de Regimenti consultis curaverunt.[1]) Insuper nec Maximilianus rex nec principes Electores per quartam anni partem Norimbergae sedere valde desideraverunt. Ad hoc accedit Ordinum ad res publicas curandas animus parum paratus, quo factum est, ut jam ad primum Regimenti diem XVIII principum adscitorum pauci tantum venirent.[2])

Quibus ex rebus praevideri potuit, futurum esse, ut Regimentum cum felici eventu nullum negocium susceptum tractaret: Pacis ruptores, quos Regimentum in jus suum vocavit, se sistere nolebant, ita ut hoc unum fere in illius tutelam fieret, quod a praesente Papae legato impetraverunt assessores, ut, qui pacem violarent, poenis ecclesiasticis afficeret, contra iis, qui pro conservanda pace preces pie funderent, gratiae thesaurum aperiret.[3])

Quod attinet ad Ordinum promissa, nec pecunia nec milites matricula Augustana constituti e regno advenerunt, quo factum est, ut neque Camerae et Regimenti assessoribus merces persolvi neque rex, quae ceperat adversus Francogalliam, consilia persequi posset. De illius rege Regimentum nimis bene sensit, haud perinde de rege suo Maximiliano, cujus sententiae de externis imperii rebus agendis semper et ubique obviavit ita, ut hoc fere solum perageret: inscio rege inducias facere cum rege isto eique Mediolanensem ducatum feodi nomine concedere haud asper-

---

[1]) cf. l. gr. Harpprecht l. c. §. 211 p. 157 sqq. et Urk. Nro. CXXV p. 421 sqq., ubi Maximiliani epistola allegatur, qua Ordinum consilium petit, quomodo Franconiae Nobilitas ad obsequium praestandum moveri posse putarent.

[2]) cf. Müller l. c. cp. XXI p. 222 sqq.

[3]) cf. Datt. l. c. cp. XX p. 378—381.

natus est. [4]) Ceteras res omnes Regimentum in futura Imperii Comitia rejecit. [5])

De qua re vehementer iratus rex Romanus Norimbergam advenit, ut de hoc uno quereretur, quod sibi aliud quidquam relictum non esset, nisi inane regium nomen, et ut speciem dominantis in imperio effingeret. [6]) Paucos dies Norimbergae commoratus Maximilianus rursum abiit, [7]) et paulo post pácem ipse fecit cum Galliae rege, cui Mediolanum fiduciarium dedit, quod et ipse consentientibus tantum Ordinibus facere debuit. [8]) Quam ob rem et quia insuper merces eis non persolvebatur Regimenti adsessores discesserunt, quos iisdem causis ducti Camerales Judices secuti sunt. [9]) Bertholdus et ipse jam antea Norimberga decesserat relicto qui juxta cum ceteris ageret consiliario suo. [10])

Itaque quaecunque Wormaciae a Bertholdo inchoata fuerunt, quaecumque in sequentibus Comitiis continuata, quaecunque Augustae Vindelicorum ab illo perfecta, praematuro fine interierunt; et archiepiscopus senex omnia, quae invenerat quaeque tanta industria ac prudentia per viginti fere annos persecutus erat, periisse vidit. Animus ejus, quin omnibus consiliis suis destructis acerbissime afflictus fuerit, nemo erit, qui dubitet.

---

[4]) cf. Müller l. c. cp. VII.

[5]) cf. Recessus hujus Norimbergensis conventus: Müller l. c. cp. XXI p. 201 sqq; coll. cpp. VI–XX p. 49–201.

[6]) cf. Ranke l. c. p. 147 Not. 1. — qui, in ceteris Maximiliano parum favens, cum eo stat adversus Ordines.

[7]) cf. Müller l. c. cp. IX p. 89.

[8]) cf. Müller l. c. cp. XXII p. 226 sqq. — Ranke. l. c. Nota 2 ad explicandam causam, qua ductus rex hoc fecisset, respicit ad Contarini l. c. qui haec tradidit: „Lo episcopo di Magonza voleva per il sigillo 80m. duc., onde parse al re di Romani d'accordarsi et aver lui questi danari.“

[9]) cf. Müller l. c. cp. XXIII p. 234—236.

[10]) cf. Müller l. c. p. 222. — Joannes l. c. Nro. 7.

§. 19.

Per quos dies Maximilianus rex aliquid grande nunquam non molitus ab Ordinibus, et a Septemviris quidem litteris ad singulos seorsim missis, auxilia postulavit, quibus expeditionem adversus Turcos movere posset.[1] Qua regis postulatione motus Bertholdus collegas suos, ut Geilnhusam convenirent, invitavit,[2] quo illi profecti, consiliis habitis, Turcorum potestatem, regi reponderunt, in tantam multitudinem excrevisse, ut nisi conjunctis christianorum principum opibus frangi non posset, de qua hanc ob causam in publico Imperii conventu esse consulendum.[3] Praeterea Principes Electores, quippe qui Regimento soluto potestatem suam atque auctoritatem valde viderent diminutam, m. Jul. 1502 Geilnhusae ad defendenda collegii sui jura pacto quodam se mutuo obstrinxerunt his decretis factis: „ut quater quotannis coirent ipsi ad deliberanda regni negocia; et quae majori parti deinde placuissent omnes unanimiter adversus quemque hostem obtinerent; neve ullam rei publicae Constitutionis mutationem a rege paratam paterentur; denique 1. d. Novbr. Geilnhusam rursum congrederentur, ad quem conventum quisque vicinos sibi Ordines invitaret, si rex interea Imperii Comitia non institueret.“[4] — Quin etiam propositum in hoc conventu factum esse traditur regem ab imperio removendi, quod profecto facile fieri potuit, quum congregatorum animi maximis affectibus, ira et dominandi cupidine concitarentur.[5]

---

1) cf. Müller l. c. II cp. I p. 237 et 239.
2) cf. Müller l. c. p. 238. — Joannes l. c. IX Nro. 18.
3) cf. Müller l. c. p. 238—242.
4) cf. Müller l. c. p. 246; coll. cp. III p. 260 sqq. — Joannes l. c. Nro. 11. — cf. etiam: Entwurf der Churfürsten über die innere Reichsordnung und das Recht der Repressalien, Gelnhausen 1502, Ranke l. c. VI p. 31.
5) cf. Ranke l. c. I p. 149.

Quibus rebus auditis Maximilianus rex scripsit Electoribus, ut Geilnhusae manerent, donec, quem missurus esset, legatus advenisset. Sed Electores, cum jam prope esset, ut abirent, Bertholdo et consiliariis suis apud hunc Aschaffenburgii relictis cum regis legato agendi licentiam dederunt. [6]) Hic cum advenit a Bertholdo auditus regis protulit de conventu querelas, quem rege inscio Electores habuissent simulque ad periculum Turcorum incursionibus imperio imminens archiepiscopi animum denuo advertit et valde opus esse addidit, ut Electores cum rege in aliqua regni urbe de hac re consiliarentur. De expeditione Turcica, Bertholdus respondit, se regi sententiam suam jam aperuisse; ceterum se suosque collegas studium suum liberaliter et prolixe regis voluntati delaturos esse, minus aperte palamque dixit. [7])

Maximilianus rex, quo Electorum spectarent consilia prorsus non ignorans (15. Jul.) Imperii Comitia Geilnhusae 15. d. m. Aug. habenda edixit; [8]) iisdemque diebus Coloniae Electorem ad dijudicandas ejus, quas cum archiepiscopali urbe habebat, lites in jus suum regium vocavit. [9]) Timuit autem sine dubio rex, ne archiepiscopus ceterique Electores jussa contemnerent; nam 6. d. Aug. conventum dictum revocavit. [10]) Brevi post Augustae Vindelicórum in Suevici foederis conventu commoratus Camerale Judicium regium instituit. [11]) Litteris deinde 22. d. Sept. datis ad conventum illum, quem Electores ad 1. d. Novbr. Geilnhusam instituerant, et ipse Ordines convocavit. [12])

At jam in eo erat, ut ne hoc quidem Electoribus placeret. Bertholdus Geilnhusiana Comitia (18. Oct.) re-

---

[6]) cf. Müller l. c. cp. IV p. 264.
[7]) cf. Müller l. c. et p. 265.
[8]) V. Act. Frcft. l. c. fo. 51 a.
[9]) cf. Müller l. c. cp. V. p. 269. — Harpprecht l. c. §. 227 p. 167.
[10]) V. Act. Frcft. l. c. fo. 51 b.
[11]) cf. Harpprecht l. c. §. 226 p. c.
[12]) V. Act. Frcft. l. c. fo. 52.

nuntiavit,[13]) et paulo post alium conventum indixit Electoribus archiepiscopus Moguntinus Herbipoli 25. d. Novbr. ineundum.[14]) Hisce rebus perterritus et quid sibi faciendum esset nescius rex et ceteris Ordinibus[15]) et Bertholdo litteras misit, quibus, non sibi visum esse, hunc conventum

---

[13]) V. Act. Frcft. l. c. fo. 48: „Berchtold von Gots Gnaden Ertzbischof von Meintz. Lieber Besumder. der dage durch uns vnd ander vnser mit Churfursten uff Symonis vnd Jude nechstkompend gen geilnhusen angesatzt ist Ausz zugefallen Ursachen erstreckt vnd an ain ander malstatt verruckt. wollten wir dir nit verhalten Solichs denen von geilnhusen wissen zu eröffnen sich darnach haben zu richten. geben zu Aschapfenburg dinstags nach gallen Anno 1502. — cf. Ranke l. c. p. 150.

[14]) cf. Müller l. c. cp. V. p. 266. — Joannes l. c. IX. Nro. 12.

[15]) V. Act. Frcft. fo. 53: Maximilian von gots gnaden Romischer kunig zu allen Zeiten merer des Reichs etc. Ersamen lieben getreuen. Als wir Euch nagst geschriben vnd begert Euch auf den tag so vns vnd des heiligen Reichs Churfursten auf aller Heiligen tag nagst Verschinen gen Geylenhawsen selbst benennt vnd ausgeschriben Zufugen vnd daselbst unsers furgenommen Turgkenzugs halben zu handeln. Ist vns ytzo von dem Erwirdigen Berchtolden Ertzbischof zu Meintz des heiligen Romischen Reiches in Germanien Ertzcantzler vnserm lieben Neuen vnd churfursten deszhalben ain schrifft zukumen. DarInn wir finden. das derselb tag bis auf saund katherinen tag schirist erstreckht vnd in die Stat Wirtzpurg verruckht sei. Darauf wir seiner lieb wiederumb geschriben vnd geantwurt haben, wie Ir ab hier Innbeslossen copi vernemen werdet. Und so wir aber vnser kriegsvolk dermassen aus vnser notturft zertrennt. Auch vnser vnd des Reichs Regiment vnd Camergericht wiederumb verordnet haben Und die Artickl so in dem Abschied zu Geylenhawsen begriffen sein durch vns vnd dasselb Regiment vnd Camergericht gehandelt sollen werden. will ditsmals Ewres zusamenkomens nit not sein. bis wir selbst einen Reichstag beschreiben. als wir obgotwill in kurtzem thun. den wir auch persondlich halten wollen. Solichs wollten wir Euch vnuerkund nit lassen. Geben zu Swebischenwerd am anndern tag des monats Novembris anno dmni 1500 Und im anndern Vnnsers Reichs des Romischen im siebenzehenden vnd des Hungrischen im dreizehenden Jaren. — Den Ersamen vnnsern und des Reichs lieben getreuen Burgermeister vnd Rat der Stadt Franckfurt.

celebrari, exposuit, id quod archiepiscopo Moguntino quidem quibusdam acerbioribus verbis declaravit.[16]) Nihilominus Electores Principes Herbipolim convenerunt, ubi Geilnhu-

[16]) V. A. cf. Frcft. l. c. fo 54. Maximilian etc. Erwürdiger lieber Neue vnd Churfurst. Wir kaben Deiner lieb geschriben berurenndt den tag so du vnd annder vnnser vnd des heiligen Reichs Churfursten gen Geylenhawsen vnnsern halben vnersuecht selbst benennt. vud bisz auff sannd katherinen tag schirist in die Stadt Wirtzburg verruckht vernomen. dar Inne begriffen ist. Wie Unns deines Bedunckhens durch dein vnd der anndern Churfursten abgönner zu Ewren vnuerschulden vnd Neben dem grunndt der Warheit angetzaigt werde. Als solte Ewre Hanndlung vnnsere Regierung zuuerclaynung oder abbruch beschehen. Ferrer dasz Ir solchen tag anndern Stennden nit verkundt. Und allain Ewre Yeder mit seinen nechsten anstossern dauon gehanndelt. Nu versehen wir vnns In solchem gegenn vnnsern Oheimen den Churfursten dheines vnguten. Wir bekennen auch nit das Unns durch Yemants Ichts vngelimpflichs noch widerwertigs von Inen angepracht ist. So weist Du auch dieweil du gute Zeit bey vnns in vnnser Regierung gewesen bist dasz wir nit leichtlichen gelawben. Aber wir haben in kuniglichen vnd furstlichen wirden solanng geregieret. dasz wir wol wissen Nemlich was vnns auff das so wir Augenscheinlich sehen Zugelawben gepurtt. Und wie wohl solicher tag nit allen Stennden verkundt sein mocht. So ist in dem abschied der zu Geylenhawsen gemacht vnd Dire vnuerporgen ist Beslossenn worden die treffentlichsten Als furssten geistlich vnd weltlich Auch die Stett Zuerfordern das in vns vnd menigclichem fure ain Reichstag hat mogen geacht werden, darezue berurenndt die Artickel in demselben Abschied begriffen on mittel vnnser vnd des Reichs oberkhait und Regierung. die Unns als Regierennden gekrönnten Romischen kunig pillichen zuesteet. Und so wir nu Dir vnnd andern des Reichs Stennden geschriben vnd begert auf den gemelten tag gen Geylenhawsen zukumen. Und daselbs vnnsers furegenommen Turckhenzugs halben zu hanndeln. Und aber seyther vnnser kriegsvolk das wir demselben ausschreiben nach wider die Turckhen zugebrauchen furgenommen aus unser mercklichen notdurfft zertrennt mag solicher Turckhenzugg auff ditzmals Eylenntz Als wir unns furgesetzt vnd Dir und andern Stennden Angezaigt hetten nit beschehen. So haben wir Auch vnnser vnd des Reichs Regiment und Camergericht widerumb verordennt. Daz in kurtzen tagen sein genugsam vbung vnd gang

sianis decretis instauratis regi scripserunt deprecati ut Coloniensis archiepiscopus secundum Wormaciensem Constitutionem judicaretur. [17])

§. 20.

Quae quum ita essent, neque universalem militarem Constitutionem neque summi judicii sententias perficienda curare quis potuit: publicae paci perniciosissimus regni status. Rex et Electores in maximum discidium venerant; omnium vero primo Bertholdo Maximilianus implacabilius irascebatur, quem ducem et auctorem habuit, omnium, quae Ordines per se ipsi regis injussu, imo edictis ejus posthabitis, fecerant. Vehementer ubique Electorem Moguntinum insectatus est, per quem fieret, id quod ille summus imperii sacerdos, minime facere debebat, ut Ordines in officio erga regem non manerent, quin etiam obsequium aperte rumperent. [1])

Quo audito Bertholdus regi scripsit: nuntiatum sibi esse, se regis odium incurrisse, sed nullius culpae sibi conscium esse; imo se putare, si quis esset, cui gratiam rex referre deberet, sibi esse referendam, cum ipse neque sibi neque rebus suis pro bono regis vel imperii aliquando pe-

haben wirdet. Daran wie Du waist frid Recht und Hanndhabung desselben hannget darInne die angezaigten Artickel auch verfasst sein. Aus dem allem Dein vnd der anndern vnnser Oheimen der Churfursten fursten vnd anndern Stenden zusamen komen ditzmals on not Ist. Dann wire wollen obgotwill in kurtzem selbst einen Reichstag beschreiben. vnd den personndlich halten. Und darauff des Turckhenzugs halben Auch alwegen das so dem heiligen Reiche Teutscher Nacion vnd gemainer Christenhait Zu Ere vnd gutem dienet hanndeln. Wie wir bishere mit mercklicher Cosst vnd Arbait gethan haben. Solichs wollten wir Deiner lieb vnuerkundt nit lassen. Dich darnach wissen zu richten. Geben Zu Swäbischenwerdt am anndern tag des Monats Novembris Anno 1500 vnd im annderen Jaren. An Ertzbischoff zu Mentz.

[17]) cf. Müller l. c. cp. V p. 267.

[1]) cf. Müller l. c. III cp. IV p. 439. —

percisset; se regiam aulam secutum regi semper ubique praesto fuisse in ejusque ministerio consenuisse. Hanc ob rem se petere, ut rex sibi nuntiaret, quae causa esset inimicitiae ejus, quam ipse defendere vellet sperans fore ut Maximilianus talem se praeberet, qualem ipse regem futurum esse confideret. [2])

Responsum reddens archiepiscopo rex: se ei iratum esse, confitetur, neque immerito; ei enim se crimini dare, quod tot curiae, quibus ipse rex infinitis sumptibus suis coram affuisset, sine ullo prospero eventu habitae essent, quia Bertholdus tanquam summus imperii princeps res publicas cum Ordinibus agens regis adhortationibus neglectis, neque imperii et mundi condicionem neque quae inde consequerentur satis respexisset et suae ipsius auctoritatis potius regis et regni gloriam nihil curans rationem habuisset. [3])

Ad quae Moguntinus Elector Maximiliano respondit: se nunquam quidquam antiquius habuisse, quam ut regis honorem atque utilitatem tueretur, imo etiam augeret; quapropter tale regis odium se non merere. Non sua culpa tot Comitia frustra facta esse; se ipsum praesentem regni statum plorare, quem, si suis viribus facere potuisset, certe et libentissime defendisset. Qualem deceret fidelissimum Electorem semper se gessisse; quare confidenti animo sese vivere, se gratiam regis recuperaturum esse, sin minus, se paratum esse ad causam dicendam coram Electorum collegio, penes quos esset judicium de regis et Electoris cujusdam controversiis. [4])

Rex archiepiscopo rescripsit: quum Bertholdus ipse Electorum arbitrio causam suam permisisset, eum ab illis judicatum iri; simulac negocia eo venissent, ut Comitia

---

[2]) cf. Gudenus l. c. cp. CCLVIII p. 543.

[3]) cf. Gudenus l. c. cp. CCLX p. 545.

[4]) cf. Gudenus l. c. cp. CCLXI p. 550.

convocari possent, rationem Elector redderet ibique se ei, quid ultra sentiret, declaraturum esse. [5])

Bertholdus autem proinde ad collegas suos se convertit, quos singulos certiores fecit, qua in simultate cum rege esset, orans simul, ut, si res in apertum discrimen veniret, ab iis, quae rex sibi objiceret, liberaretur. [6])

Non errasse videtur Maximilianus rex, putans Geilnhusiana decreta et omnino malum obsequium, quod sibi praestaretur ab Ordinibus, Bertholdo omnium primo attribuendum esse. Nam Electorum conventus nihil aliud fere praestabant et repraesentabant, quam quod Imperii Regimentum, cujus vice fungi videbantur.

Maximilianus rex hos conventus aegerrime tulit, sed Electores Bertholdo instigante obstinaces in regem permanebant ejus imperium detrectantes.

Herbipoli jam a. 1502 archiepiscopus Moguntinus cum Rheni Palatino societatem novo foedere inierat, quo facto in majorem jam venit regis suspicionem; nam hic Elector, qui proximis temporibus patriae salutem minime respexerat, inimicitiis inter regem et Electores exortis eximium et singulare in rem publicam studium exhibuit. [7])

§. 21.

Principes Electores, cum Herbipolim ab iis invitati non venissent, conventum novum, nisi rex interea Ordines convocaret, indixerunt (3. Jun. 1503) Wormaciae habendum, qui vero postea Moguntiam (ad 18. ejd. m.) dilatus est. Epistolam ad regem mittere, quotquot illic adfuerunt Ordines, statuerunt, qua, Cameram regiam Ratisbonae institutam rex ut solveret decretisque Wormaciensibus et Augustanis staret, flagitaverunt. [1]) Sed Maximilianus rex

---

[5]) cf. Gudenus l. c. cp. CCLXI p. 550.
[6]) cf. Gudenus l. c. cp. CCLXII p. 551.
[7]) cf. Joannes l. c. IX Nro. 9.
[1]) cf. Müller l. c. cp. VI p. 271—275. — Ranke l. c. p. 151.

ad hanc Electorum epistolam respectum non habuit et Comitia Imperii instituit Coloniae vel Aquisgrani obeunda. Eodemque quo haec promulgavit edicto ab Electoribus postulavit, ut Philippum filium suum in collegii Electoralis complexum reciperent. [2])

Haec autem regis postulatio Electoribus minime placuit. Francofurtum ergo convenerunt (7. d. Novbr.), et consiliis diu multumque agitatis: „se ipsos, decreverunt, post biennium, per legatos vero suos quotannis conventum esse habituros.“ [3]) Simulque legatos ad regem miserunt, qui Electorum conventus excusarent, Philippum autem archiducem tanquam novum Electorem renuerent regemque rogarent, ut in proximum conventum prodiret Cameramque regiam dimitteret. [4])

Dum haec aguntur, Saxonicus Elector Bertholdo annuntiavit, Camerae ad tempus tantum sese et domum suam subjecisse; et, nisi institueretur illa secundum Wormaciensia decreta, se ei non esse obtemperaturum. [5])

Electorum legati regem Augustae Vindelicorum convenerunt; ibique Bertholdus archiepiscopus illo tempore moratus est. [6]) Maximilianus deinde Ulmam profectus consiliariis suis mandavit, ut cum Bertholdo et legatis dictis de conventu agerent publico. [7]) Archiepiscopus vero una cum legatis regem secutus est, quapropter Maximiliani consiliarii consulta ejus Ulmam miserunt. In his primum rex Coloniam destinaverat ad conventum celebrandum, cui Philippus filius praesideret. Deinde ea, dixit, condicione se Electorum conventus excusaturum esse, ut illi desinerent, regis injussu tales conventus instituere. Cameram denique

---

[2]) cf. Müller l. c. cp. IX et X p. 286—290.

[3]) cf. Müller l. c. cp. VII p. 275—282.

[4]) cf. Müller l. c. cp. VIII p. 282—286; cp. X p. 289; cp. XVI p. 362 et 363.

[5]) cf. Müller l. c. cp. XIII p. 233 et 234.

[6]) cf. Müller l. c. cp. XVI p. 354. — Joannes l. c. Nro. 20.

[7]) cf. Müller l. c.

se constituisse, addidit, quia Ordines assessores dare saepius omisissent eademque de causa sportulas, quas vocant, rursum esse ordinatas. [8])

Propter hoc regis responsum Bertholdus collegis suis novum conventum indixit (17. d. Mart. 1504) Aschaffenburgi, habendum, ubi quot praesentes fuerunt haec declaraverunt: „Coloniam urbem non esse locum sibi opportunum ad Comitia; ceterum se ea tantum condicione Imperii Comitiis proximis adfuturos esse, si rex et ipse illis coram adesset." Praeterea inter se constituerunt, ut, si rex hoc non faceret, ipsi novum Electorum conventum haberent. [9])

Magnum odium in regem susceperunt Electores. Haud multum aberat, quin successor ei constitutus esset. Sed Maximilianus rex et ipse Electoribus valde fuit iratus et ubique de illis questus est, qui arbitrium suum pro legibus haberent. [10]) Cum igitur persuasum haberet, controversiam in eo esse, ut componi jam non posset, discrimen subiit. Quo facto patriae nostrae homines in duas partes adversas discesserunt. Jam id agebatur, utrum in Maximiliani regis, an in Bertholdi archiepiscopi sententiam regnum in posterum regeretur. Quo in certamine victoria pro tempore quidem penes Maximilianum erat. Electorum enim contumacia effecit, ut, qui regis causam complexi erant, tunc studiosius ejus partes sequerentur. Quorum in numero ipsorum principum multi denique fuerunt. Hi enim cum omnibus, quae Bertholdus ad res publicas melius constituendas proposuerat, Electorum praecipue commodis eum consuluisse, intelligerent, suam ab illius causa separarunt.

---

[8]) cf. Müller l. c. p. c. et sqq.

[9]) cf. Müller l. c. cp. XVII p. 364 sqq.

[10]) cf. Contarini l. c. (ap. Ranke l. c. p. 148): „Il re è assa odiato, a poca obedientia in li tre stadi; questi senatori electi è venuti nimici del re: adeo il re dice mal di loro e loro del re. Il re a ditto, piu volte vorria esser duca d'Austria, perche saria stimato duca, che imperator è vituperato."

Deinde rex, qui consanguinitatis vinculo potentissimis principibus externis conjunctus erat, magna potentia jam valebat, quam aliquot rebus illo tempore feliciter gestis auctam etiam vidit atque amplificatam. Electores contra Bertholdi morte, quae brevi post intercessit, collegii sui caput amiserunt, itaque ex omni spe, se ea, quae sibi proposuerant, persecuturos esse, deturbati sunt.

§. 22.

Archiepiscopus enim Moguntinus peregrino morbo affectus anno 1504. exeunte supremum diem obiit. Quo res deducta esset, senem non fugerat; omnia ei praeter opinionem proximo tempore acciderant; aliter fieri non potuit, quam ut animo esset tot rebus adversis perculso ac dimisso; id quod mortem ejus procul dubio maturavit. Maximo moerore tunc afflicta est civitas Moguntina, quippe quae virum amitteret, qui de archidioecesi egregie meruerat, cujus splendidissimum ingenium etiam metropolitanae sedi suae splendorem addiderat. Ossa ejus in ecclesia majore Moguntina condita sunt, ubi monumentum, quod civium amor ei posuit, etiam hodie miramur. Lapidi haec verba legimus inscripta:

> Bertholdus ex Familia Henneberg, Archiepiscopus Mogunt: Vir inter sui Ordinis et Aetatis Principes prudentia, consilio, autoritate primarius, Religionis Pacisque servantiss: postquam feliciter et pontificatu et vita functus est, hoc illi Saxum grata Resp. F. C. Moritur Anni Sal. MDIIII. Pontificii XXI. aetatis LXIV., XIII. Kal. Jan. [1])

§. 23.

Bertholdi studia politica una cum morte ejus ceciderunt. Rex igitur Maximilianus ad virium suarum fiduciam

---

[1]) cf. Gudenus l. c. I. p. 826.

erectus, ut, quantum in se esset, sentiret atque intelligeret, sua rerum publicarum emendandarum consilia perficere majori contentione conatus est. Qua in re ad Bertholdi defuncti proposita partim respexit, ita vero, ut suae rationi in omnibus his, quae instituere paravit, omnium primo animum adverteret. Verum tamen aeque ac Bertholdo misere haec imperatori successerunt.

Si vero quaerimus, unde causa praecipue repetenda sit, cur nec Bertholdi archiepiscopi nec Maximiliani regis, adversarii ejus, studia politica ad optatum finem perducerentur, haec mihi — ut omittam tot Ordinum animum suis solis rebus intentum — videntur maxime consideranda:

Quod attinet ad viros ipsos, facere non possumus, quin et Bertholdum et Maximilianum sincero patriae amore incensum fuisse ejusque statum in melius reficere vehementer desiderasse, fateamur. Tum in rege perinde atque in Electore excellentem virtutem, praestantissimum ingenium miramur. Deinde et in hoc et in illo patriae nostrae homines multi summam spem ac fiduciam collocabant; id quod in rebus publicis melius constituendis maximi est momenti. Denique uterque tantam potentiam habuit, ut ipse adjumento suo plurimum valeret. — Sed si longius spectamus, Bertholdus summa prudentia praeditus erat et, quamvis consilio persequendo totus deditus, tamen semper aequum animum servabat atque constantiam; ea tantum appetebat, quae fieri posse perspexerat, neque ulla difficultate a proposito assequendo deterrebatur. Sane quidem Bertholdus in eorum virorum numero ponendus est, qui totam vitam suam uni magnae rei sacrarunt omnesque animi et corporis facultates in uno eoque praeclaro consilio consumpserunt. Maximilianus econtra in omnibus his a Bertholdi diversos mores habebat. Imperatoriam indolem, animum fortem ac nobilem ei fuisse negari nequit, sed saepius prudentia et animi tranquillitate carebat, majora concupiscebat; deinde quavis difficultate deterritus ea, quae

vix orsus erat, non perficiebat et ab una ad rem alteram transiit.

Quae quum ita essent, necesse erat, ut, quamdiu Bertholdus Electorum caput exstitit, hi consilia sua assequerentur. Cogitanti vero mihi de ipsis utriusque viri politicis studiis oritur quaestio, num imperio dilabente externae ejus res internis rebus postponi potuerint? num interna discordia composita ordo restitui potuerit, dum semper metuendum erat, ne hostium impetu opus vix inceptum dirueretur? Nonne prudentius fuisse unusquisque judicabit, si imperator universi populi fervore et ardore ad imperii hostes arcendos usus esset? Tum omnes Ordines se uno eodemque rei publicae salutis vinculo conjunctos esse intellexissent neque sibi potius quam rei publicae consuluissent.

Etsi aliis alia ad haec respondenda esse procul dubio videantur, hoc tamen certum est: Bertholdus omnibus regni melius constituendi conatibus suis Electores, qui jam antea summam potestatem impetraverant, nimis potentes reddidit; et ille omnium primus impedivit, ne rex potentiam, qua opus erat, eo tempore sibi acquireret. Itaque studia ejus politica, de quibus hac commentatione disputavimus, tantum aberat, ut patriae nostrae prodessent, ut ad augendam discordiam conferrent. Respublica nostra immutata non est: et patria nostra in turbarum seditionumque fluctus rejecta est. Ad omnes dissensiones jamjam imminens religionis discidium accessit paulo post, quod regni nostri Germanici rei publicae vulnera imponebat, quibus tria saecula mederi non poterant!